

695  
J9W8

B. H. +

DE  
**ANNO HEBRAEORUM JUBILAEO.**  
—  
COMMENTATIO  
IN  
CERTAMINE LITTERARIO CIVIUM  
**ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE**

DIE IV. JUNII MDCCCXXXVII

EX DECRETO

**VENERABILIS THEOLOGORUM ORDINIS**

**PRAEMIO REGIO ORNATA.**

SCRIPSIT

**GEORGIUS WOLDIUS**

SOLTAVIENSIS,

SEMINARII REGII NOMILETICI ET CATECHETICI SODALIS.

*Georg Woldius*

---

*Kai τὰ σάββατά μου ἔδωκα αὐτοῖς, τοῦ εἶναι εἰς σημεῖον ἀναμέσον ἐμοῦ καὶ ἀναμέσον αὐτῶν, τοῦ γνῶναι αὐτοὺς, διότι ἐγώ πύριος ὁ ἀγιάσων αὐτούς.*

Ezech. 20, 12.


---

GOTTINGAE  
APUD V A N D E N H O E C K E T R U P R E C H T.

BM695  
J9W8

Ordinis S. V. de hac dissertatione judicium:

»Dissertationis auctor, si paucissima exceperis, in quibus vel dissentire ab eo, vel reprehendere eum, vel admonere licet, plenissimam laudem meruit. Tanta enim rerum omnium, quae ad quaestionem faciunt, non solum circumspectione, sed etiam in faciendo delectu prudentia, tanta in quaerendo subtilitate, judiciique modestia, ea Latini sermonis simplicitate et castitate, denique ea arte usus est, ut non solum, quae a viris doctis hactenus effecta fuissent, bene percepérit et recte dijudicaverit, sed etiam nova eaque veriora invenerit suopte ingenio.«



15690  
**VIRIS CLARISSIMIS,**

**SUMME VENERANDIS**

**GOTHOFR. CHRIST. FRIDER. LÜCKIO**

THEOLOGIAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI

HANNOVERAE REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS

THEOLOGIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO

ET

**FRIDERICO GUILLEM MO RETTBERGIO**

PHILOSOPHIAE DOCTORI, THEOLOGIAE LICENTIATO

HUJUSQUE PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO

FAUTORIBUS BENEVOLIS

PRAECEPTORIBUS PIE COLENDIS.

Quod illustrissima Vestra nomina exiguo huic meo tirocinio praefigi  
cupiverim, id ne immodestia a me factum esse ducatis, Reverendissimi

Viri, multum oro. Scio enim ac sentio ipse, praeclaro illo ornatu scriptiunculam meam haud dignam esse. Attamen quum Ordinis S. V. benigno judicio et indulgentia factum sit, ut praeclarissimo praemio mea quantulacunque studia ornarentur, venit tam vivida in mentem meam cogitatio, Vestrum me totum esse neque ullam unquam in me fuisse ad spem istius coronaे adspirandi vim animumque, nisi id ex Vesta accipissem saluberrima disciplina et institutione benevola. Ita quidquid hisce studiis meis in arte profecerim, id in Vestrā non potui non trādere tutelam. Quare hoc grati mei animi studiosissimaeque erga Vos pietatis testimonium benigna, qua estis, indulgentia accipiatis, oro rogoque.

Vestri observantissimus

Dab. Berolini die XVII. Jul. MDCCXXXVII.

*Georgius Wolde.*

## PRAEFATIO.

---

Instante laeto atque felici hoc anno, quo Academiae Georgiae Augustae festa saecularia celebranda sunt, quum de praemiis sueto more certaturis quaestiones proponerentur: Ordo Theologorum S. V., cuius ipsius Seniori, Viro Clarissimo, Summe Venerando, de litteris pariter ac de hujus academie flore atque salute eximie merito, idem annus muneric praecclare administrati festa jubilaea tulit, in memoriam magni et duplicitis hujus gaudii Dei gratia concessi de antiquissimo illo instituto disquiri voluit, unde et nomen suum et sensum internum ejusmodi festa acceperunt. Postulavit enim Ordo S. V.:

» ut de anno jubilaeo Hebraeorum, habita simul anni, quem vocant, sabbatici idonea ratione, disquireretur, ita quidem, ut post brevem ipsius vocis explicationem, quaestionemque de Pentateuchi origine cum legis de hoc anno celebrando latae Mosaica auctoritate summatim tantum conciliatam, primum singula ejus instituta per se spectata exponerentur, haud neglecta disquisitione secundaria, quo tempore primum et quibus postea intervallis idem celebrari debuerit; deinde ut legis istius ratio cum ex iis ipsis institutis, tum aliunde erueretur ac dijudicaretur, porro in disceptationem vocaretur, utrum annum istum unquam celebratum fuisse probabile sit nec ne, denique, quam vim in rem civilem, domesticam atque ethicam illum annum exseruisse opinari liceat. «

Quae quaestio proposita ad nostra, hujus acadiae civium, studia excitanda eo magis fuit idonea, quo arctiorem habet connexum cum praeclera illa Almae Matris laetitia, quae omnibus, qui

summa ejus beneficia grato animo experti sunt, jure habetur communis esse. Quare, ut ad tractandam hanc quaestionem pro virium exiguitate me accingere auderem, commotus sum, sperans, fore, ut, licet ad rem ea, qua par est, arte disponendam vires non sufficerent, conatus indulgeret Ordinis S. V. clementia.

Antequam vero ad quaestionem ipsam aggrediar, praemonendum mihi videtur de difficultate, quae in solvenda illa obviā mibi fuit, haud exigua; effecitque, ut vera certaque quaerenti mihi tamen in multis haud contingeret minorem certitudinis veritatisque gradum superare. Omnis enim rei cardo in eo versatur, ut, quid de loco Lev. 25., qui continet legem de anno jubilaeo latam, statuendum, num ille ad Mosem auctorem referendus, an in quo alio tempore ejus origo ponenda sit, ad liquidum perducatur. Nec minus lex de anno jubilaeo tam arce cohaeret cum illa, quae de anno septimo data est, cui alibi instituta nonnulla adscribuntur, quae alibi ad jubilaeum referuntur, ut etiam de locis Exod. 21. Exod. 25. et Deut. 15. eorumque inter se et ad locum Lev. 25. relatione diligentissime disquirendum sit. Quod fieri non potest, nisi antea, de universi pentateuchi origine quid censendum sit, constitutum fuerit. Sed illa ipsa res est, qua nescio an nulla magis in incerto sit et diversissimis doctorum virorum disceptetur sententiis, ita quidem, ut vix aliquid relinquatur, quod certum ac commune omnibus disputationis fundamentum habeatur<sup>1)</sup>.

Et habet sane ea res tantas difficultates, ut, nondum maiorem sententiarum unitatem atque veritatis firmitatem adesse, mirum non sit. Nihilominus tamen de Hebraeorum anno jubilaeo quaerentes egemus constituendo aliquo judicio de pentateuchi origine, ne quaestio nostra fundamento suo atque cardine carens corruat. Opus vero aggrederer, cui imparem sane me sentirem, si de pentateuchi origine quid mihi statuere conarer, quo pro cer-

1) Si, veritatem ratus medium inter extremas quasque sententias quaerendam esse, contuleris, quae non sine summa eruditione et ingenii acumine altera ex parte de pentateuchi origine docuit Hengstenberg, ex altera vero Hartmann, Vatke, de Bohlen, alii, tam largum tibi videbis relictum esse campum inter extremas sententiarum partes, ut desperes fere de certo constituendo loco, quo veritatem positam esse ducas.

to prorsus in persequenda illa nostra re uteret. Quare nihil relinquitur, nisi ut, perfecta veritatis firmitate destitutus, eam eligere atque rationibus firmare studeam sententiam, quae inter ceteras verisimillima esse videatur. Sed efficitur inde, ut quaestio illa de anno jubilaeo a nobis perfecte solvi non possit, quum quaestio de pentateuchi origine nondum prorsus certa redditia sit. Itaque sententiis, quas de illo anno probandas esse statuerimus, incerti aliquid inhaerere, ita ut nonnullis locis nil nisi verisimile nobis concedatur, fatendum est.

Quae quum sit quaestionis nostrae conditio, inde incipere licet dissertationem, ut primum de pentateucho in universum quaeramus, deinde, quid de singulis locis, quibus de anno septimo et jubilaeo agitur, judicandum sit, inde constituamus. Quo facto ad exponenda ipsa anni jubilaei instituta, investigandamque eorum vim atque rationem, via patebit.

---

## Conspectus libelli.

---

|  |           |
|--|-----------|
| Cap. I. De pentateuchi origine in universum, §. 1—12.  | pag. 1—13 |
| Cap. II. De Mosaica legum Jūdaicarum auctoritate,<br>§. 13. 14. . . . .  | — 13—15   |
| Cap. III. De singulorum pentateuchi locorum, qui de anno<br>septimo et jubilaeo scripti sunt, origine, §. 15—18.                                       | — 15—18   |
| Cap. IV. De nomine anni jubilaei, §. 19. 20. . . . .   | — 18—21   |
| Cap. V. Singulorum institutorum anno septimo et jubi-<br>laeo injunctorum explicatio, §. 21—42. . . . .  | — 21—49   |
| Cap. VI. Legum de anno septimo et jubilaeo latarum vis<br>atque consilium, spectata universa Hebraeorum rei-<br>publicae conditione, §. 43—48. . . . . | — 49—57   |
| Cap. VII. Num anni jubilaei instituta a Mose condita sint,<br>§. 49. 50. . . . .   | — 57—60   |
| Cap. VIII. Utrum anni jubilaei institutum observatum sit,<br>nec ne, §. 51—54. . . . .   | — 60—66   |
| Cap. IX. Anni jubilaei similitudines apud alias gentes ob-<br>viae, §. 55—57. . . . .  | — 66—69   |

---

## CAPUT I.

### De pentateuchi origine in universum.

#### §. 1. *Pentateuchus perfecta originis unitate caret.*

**D**e pentateuchi libri origine quaerentibus quum desint ejusdem aetatis testimonia aliunde petita, ex ipsius libri ratione sive ex internis argumentis ejus rei notitia petenda est.

Quae quidem argumenta interna sunt ejusmodi, ut alia ex aliis libri partibus petita diversa originis tempora ostendant neque ad certum aliquod tempus constituendum sufficient. Qua re cogimur, ut, non eadem aetate totum librum, sed partem post partem compositam esse, censeamus. Nec desunt indicia, quibus perfectam et auctoris et temporis unitatem illi deesse, satis luculentem comprobetur.

Nam primum quod ad externam, qua compositus est liber, formam attinet, perquam solutum narrationis connexum esse, vel prorsus deesse, multis locis in oculos cadit; e. c. versus Deut. 4, 41—43. alieni sunt a loco, quo leguntur. Deinde inscriptions saepe occurrunt non apto loco et medium nexus rumpentes, e. c. Gen. 2, 4. Gen. 37, 2. Inverso temporis ordine scriptum est Num. 9. si contuleris Num. 1. —

Deinde res narratae ipsae sibi contrariae sunt nonnunquam: e. c. Exod. 24. sermo est de septuaginta Israëlitarum senioribus, quamquam Num. 11, 16 primum illi a Mose electi esse feruntur. Eadem res interdum paullo variata iterum narratur; cf. e. c. Exod. 17. et Num. 20.

Scribendi denique rationem et consilium auctoris diversis locis diversa esse, apertum est: memineris discriminis illius in usu

nominum Dei. Quod ad auctoris consilium attinet, e. c. Deuteronomii leges multo sunt mitiores, sed simul magis in sacerdotum usum conformatae, quam priores.

Quibus rebus, pentateuchum unitate perfecta carere, satis comprobatum erit. Majorem autem exemplorum copiam petas ex libris ea de re conscriptis non paucis, quorum auctorum plurimi in investigandis illis diversitatibus solent esse copiosissimi.

### §. 2. *Moses totius pentateuchi auctor non est.*

Negata absoluta pentateuchi unitate, illa simul rejicienda est sententia, quae Mosem totius libri habet auctorem<sup>1)</sup>.

Missa quaestione, quae ad rem nostram minoris est momenti, num jam ante Mosem scripti adfuerint historiae Israëlitarum fontes (quod ex universa antiquarum illarum narrationum forma atque ratione videtur negandum esse), causas afferamus, quibus non totum librum a Mose conscriptum esse, probemus.

In libro ipso Moses auctor fuisse non perhibetur, nisi in deuteronomio, quae recentissima libri pars est, quam multis demum post Mosem saeculis conscriptam esse postea videbimus<sup>2)</sup>. — Deinde praeterquam quod ipsius Mosis obitus refertur, ipsius narrationis ratio, non eodem, quo res gestae sint, tempore eas descriptas esse, probat. Nam ut omittamus alias difficultates, ne scimus, quomodo fiat, ut Num. 19. 20. oratio subito ab secundo migrationis anno ad quadragesimum transsiliat et de triginta octo illis annis prorsus nihil narretur; nisi, postea demum haec conscripta esse, quum jam deesset rerum illis annis gestarum notitia,

1) Inter recentiores Mosaicae pentateuchi auctoritatis defensores HENGSTENBERG sane princeps est, nec sine magna profecto agit eruditione. Cf. die Authentie des Pentateuchs, erwiesen v. E. W. HENGSTENBERG, 1. Bd. 1836. — Sed quas profitetur in re disquienda se secutum esse leges, efficiunt, ut inde a principio cum eo consentire non possim; cf. ej. lib. praefat. pag. VI. LVII. LXXVI. Quum, ante institutam quaestionem historico-criticam pentateuchi authentiam, fidei causa jam sibi constare, dicat, facile fit, ut rei jam pro certa habitae causas nonnullas cum scholastica quadam subtilitate inveniat, difficultatesque historicas supposita religiosa aliqua ratione solvat.

2) De pentateuchi locis, qui Mosem auctorem esse perhibere videntur, cf. BLEEK in Stud. u. Crit. 1831. 3. p. 509 sqq.

putaverimus<sup>1)</sup>. Accedunt anachronismi, qui dicuntur; e. c. Nüm. 32, 41. et Deut. 3, 14. narratur res, quae judicium demum tempore facta est, scf. Jud. 10, 4.; regibus deinde leges praescribuntur Deut. 17, 14—20, quod jam a Mose, liberam rempublicam instituente, factum esse, cogitari nequit. Idem probant leges, quibus proditur, res sacras in unam urbem collatas firmam sedem habuisse, quod multo demum postea factum est. Quibus ex rebus concludi potest, maximam pentateuchi partem satis longo post Mosem tempore scriptam esse, licet initia inde ab illius aetate conscribi coepta sint.

### §. 3. *Ante exilium Babylonicum totus confectus est pentateuchus.*

Sequitur, ut constituamus terminum, usque ad quem descendisse libri origo putanda sit. Fuere, qui demonstrando, quam recentissimum eum esse, gauderent. Hoc vero nobis videtur tendendum esse, *ante exilium Babylonicum universum pentateuchum confectum esse.*

Quum redirent ex exilio Judaei, jam adfuisse librum illum, apparebat ex libris Esrae et Nehemiae, quorum multis locis Mosis leges citantur, secundum quas nova civitas constituta esse referatur. Esra ipse dicitur legis Mosaicae egregie peritus fuisse. Accedit, quod his temporibus sacerdotes jam plura sibi sumserant, quam quae conceduntur in pentatecho, e. c. Lev. 1, 3. 5, 2 ei, qui sacrificium fert, ipsi licet hostiam mactare; ex locis autem 2. Chron. 29, 24 et Esr. 6, 20 elucet, hoc sibi postea solis reliquise sacerdotes et levitas; quod sane, si tum demum legum librum scripsissent, in eum recepissent.

Quod vero aliquot pentateuchi locis exilii poenam legislator Israëlitis minatur, tantum abest, ut argumento sit, in exilio librum conscriptum esse, ut contrarium inde sequatur. Nam quo consilio jactandae sunt exilii minae, ubi jam adest exilium? Nemo alteri minatur nisi res futuras. Talem autem potissimum poenam populo propositam esse, rerum naturae maxime convenit; nam et summum id habebatur esse infortunium, et frequens bel-

1) HENGSTENBERG contra: Consulto hoc factum esse, quoniam Moses *sacram* voluerit scribere historiam. Sed octo et triginta illis annis plane nihil accidisse Israëlitis, quod vel *sacrae historiae memoria* dignum fuerit, verisimile non est.

lis illis temporibus gestis usus erat, ut victus populus in peregrinationem ageretur, et pulcherrime conveniebat populo, qui Dei gratia in terram felicem transductus esset, timere, ne ea ex terra pelleretur, ubi Dei gratiam a se alienasset. Quod vero in deuteronomio (cap. 4. 28. 29.) tam multa et accurate descripta de exilio leguntur, ita explicandum, ut, quo haec scriberentur tempore, jam fuisse, putemus, decem tribuum septentrionalium exilium, quod ad monendum regnum Judaeum scriptor adhibuerit.

Nec potest cogitari, in exilio desperatis Judaeorum rebus, opus compositum esse, quod ejus gentis laudes et felicitatem a Deo promissam aeternam celebraret; id quod ludibrio magis, quam solatio fuisse. Conferas locos, quales sunt Deut. 33, 28. 29., alii, qui ad *praesentem* felicitatem referendi sunt.

Maxime vero hoc videtur argumento esse, pentateuchum universum jam ante exilium scriptum esse, quod Samaritani, qui ceteros rejiciunt Judaeorum libros sacros, pentateuchum tamen cum Josuae libro receperunt. Notum est, quantum statim post exilium Judaeos inter et Samaritanos exarserit odium; quare si in exilio aut postea scriptus est liber ille, non intelligitur, quomodo Samaritani legum codicem inimicis tum proprium recipere voluerint. Licet illum summi pontificis filium, Manassem, qui a Judaeis expulsus ad Samaritanos confugit<sup>1)</sup>, legum librum secum portasse putes, non recepissent sane Samaritani Judaeorum leges, nisi jam antea earum habuissent cognitionem et sincera antiquae originis auctoritate eas firmatas esse putassent. Verisimilius autem videtur esse, Josia regnante Samaritanos legum illarum, quas nondum habuerint, accepisse<sup>2)</sup>; nam ex loco 2. reg. 17, 26 sqq. apparet, illos Mosaicum cultum simul cum ethnico celebrasse, et loco 2. reg. 23, 15—20, sacrorum instaurationem a Josia factam etiam ad Samariam pertinuisse, probatur.

Dicendi deinde ratione proditur major pentateuchi vetustas; e. c. Dei nomen נָהָרֶת postea usitatissimum in illo libro non adest, jejunandi verbum נְאֵל nondum notum est, sed circumscribitur נְפַעַת cf. Lev. 16, 31. 23, 27 et 32.

1) Cf. JOSEPH. ant. XI. 7 et Neh. 13, 28.

2) Quam sententiam defendit D. v. Cölln, A. Lit. Zeit. 1828. Ergänzungsbl. No. 13. pag. 102.

In antiquissimis denique prophetarum libris loci adsunt, qui, jam novisse eos pentateuchum, demonstrant, e. g. Am. 4, 11 cf. Gen. 49, 29. — Hos. 12, 4 cf. Gen. 25, 26. — Joel 2, 13 cf. Num. 14, 18 et Exod. 34, 6. Eodem modo 2. reg. 14, 6, qui liber primis exilii temporibus scriptus est, verbo tenuis citatur Deut. 24, 16.

**§. 4. Singularum pentateuchi partium rationem pro certo constituere, difficultimum est.**

Satis largum sane nobis relictum est tempus, inde a Mose usque ad exilii Babylonici initium, per quod singularum pentateuchi partium originem distribuamus. Qua in re omnium difficultima oritur quaestio, quot et quaenam fuerint singulae illae partes, quae earum inter se ratio, quod cujusque, quo conscripta sit, tempus. — Nec, prorsus jam solutam esse illam quaestionem, putaverim, quum adsint tot fere solvendi rationes, quot de ea re egerunt viri docti; quarum multae magis conjectuae sagacitate et audacia insigne, quam veritate notabiles videntur habendae esse. Quare eam assequi studebimus sententiam, quae maximum verisimilitudinis speciem p[ro]ae se ferre videatur.

**§. 5. Sententia, ex particulis inter se prorsus diversis confluxisse pentateuchum, probanda non est.**

Sunt, qui, pentateuchum compositum esse putent, ex particulis multis vel majoribus vel minoribus diversorum diversae aetatis auctorum, quae inter se nullo connexus vinculo contineantur, et quas circa exilii Babylonici tempus aliquis collegerit et fere non mutatas ordine aliquo chronologico in unum librum redegerit<sup>1)</sup>.

Ad quam sententiam accedere non possumus. Nam quamquam diversitas haud parva in illo libro conspicitur, non tamen ea est, quae, ut quoque ordine atque compositionis consilio liber carere videatur, efficiat; sed unitas quedam consilii auctoris, quamquam non perfecta, per maximam ejus partem non desidera-

1) Cf. ILGEN, Urkunden des jerusalem. Tempelarchivs, Halle 1798 — VATER, Comment. üb. d. Pentat. 1802 — 6. — HARTMANN, hist. crit. Forschungen über Bildung, Zeitalter u. s. w. der 5 B. Mos. Rostock 1831.

tur; multa, quae in partibus prioribus leguntur, ad praeparanda et illustranda ea scripta sunt, quae in posterioribus narrantur; e. g. sabbati institutum a Mose ordinatum narratione de mundi creatione jam praeformatur; Num. 33. brevibus verbis multa enumerauntur, quae uberioris antea exposita erant.

Conjungenda igitur diversitas cum unitate quadam ita, ut auctorem, qui posteriore tempore aliquas pentateuchi partes conscripsit, priorum auctorum scripta in usum suum recepisse et certo quodam consilio cum opere suo conjunxisse, putemus<sup>1)</sup>.

#### §. 6. *Sententia, qua fide historica pentateuchis prorsus carere dicitur, rejicienda est.*

Alia est sententia, qua difficultates historicae, quae in pentateucho occurrunt, facillimo sane et audacissimo modo solvuntur: documentis vere historicis eum prorsus carere, fictum atque compositum esse universum librum a duobus vel tribus auctoribus ultimis ante exilium Judaeorum et ipsis exilii temporibus ad celebrandam gentis Judaeae gloriam et confirmandam sacerdotum auctoritatem, exhibitis multis fabulis in populi ore versantibus<sup>2)</sup>. Quae narrantur 2. reg. 22 de reperto legum Mosaicarum codice ita interpretanda esse: summi pontificis et prophetarum fraude tum temporis hunc legum librum confectum et prolatum esse tanquam antiquitus traditum.

Quae sententia temeritatis multo majorem, quam veritatis prae se fert speciem. Nam primum, si mere fictam quis compusisset historiam, multo sane diligentius consilio suo, celebrando regno Hierosolymitano firmandoque sacerdotum imperio, inserviisset, nec tanta cum simplicitate et ingenuitate narrasset, quae minus honesta esse apparent patriarcharum facta; Judae praecipue et Levi majorem gloriam impertitus esset (Gen. 34, 25 cf. Gen. 49. cap. 38.); nec loca et urbes Palaestinae in Geneseos libro

1) Cf. EWALD in Stud. u. Crit. 1831 Heft 3. p. 602.

2) P. de BOHLEN imprimis hanc sententiam nuper apertissime protulit; cf. ejus librum: die Genesis hist.-crit. erläutert 1835. Quem egregie refutavit BLEEK dissertatione Bonn. 3. Aug. 1836: de libri Geneseos origine atque indole observatt. quaed. contra Bohlenium. Nec minus voluntario modo VATKE (Bibl. Theologie) fontes historicos ad philosophiae cujusdam placita accommodat.

celebrasset, quae ultimis illis ante exilium saeculis aut ignota et exigua aut deorum falsorum cultu contaminata erant (e. c. Bethel Gen. 35, 9—15 cf. 1. reg. 12, 32.). Universus sane libri coloris est, qui, genuinam et sinceram auctores scribere voluisse historiam, aequo lectori facile persuadeat. Et adfuisse conscribentibus etiam scriptos fontes vetustiores, apparet ex loco Jos. 10, 30, ubi sermo est de libro, cui nomen est טְבַדֵּל הַיּוֹם, qui iterum 2. Sam. 1, 18 nominatur et ad Davidis fere tempus videatur referendus esse. Et quum in Salomonis aula regia (1. reg. 4, 3.) munus constitutum esset memoriarum scriptoris, verisimilium sane est, jam multo ante Hebreos describendis rebus gestis operam navasse; ita ut conjectura, circa exilii tempora ad componendam populi historiam, fabula fingenda opus fuisse, nullo modo possit defendi.

### §: 7. *Ex quatuor pentateuchis compositus est elementis.*

Ad eorum igitur accedimus sententiam<sup>1)</sup>, qui, etsi non omnia, quae narrantur in pentateucho, cum perfecta auctoritate historicâ conscripta, neque omnia ex documentis eodem, quo res gestae sint tempore, scriptis petita esse, censem, diversos tamen diversarum libri partium auctores bona voluntate egisse, partim ex narrationibus in populi ore versantibus, partim vero etiam ex scriptis vetustis fontibus hausisse, contendunt. Diversos illos pentateuchi auctores ita egisse, ut posterior, quae a priore composta inveniret, suo operi intexeret, nova adderet atque insereret ex aliis partim fontibus, partim ex ipsius de illis rebus judicio. — Quae sententia ad maximam perspicuitatem et evidentiam rem perducere videtur, si<sup>2)</sup> quatuor discernimus elementa, ex quibus pentateuchum ortum esse putemus.

1) Secutus sum maxime CLARISSIMI EWALD sententiam, quam publicis scholis nobis tradidit. Quam ille contenderat in libro: »Composition der Genesis« Brschw. 1823» perfectam Geneseos unitatem, retractavit in Stud. u. Crit. 1831. 3. p. 595 sqq. — Quod ad Genesis et Exodum attinet, inter EWALD et DE WETTE (Einleit. — Crit. der mos. Geschichte 1807) non ita magna est diversitas; major vero, quod ad ceteros pentateuchi libros.

2) Quemadmodum EWALD docuit, a cuius sententia expositis singulis rebus discessimus in minoribus tantum.

**§. 8. 1. Antiquissimae aetatis fragmenta,**

Non desunt fragmenta ad antiquissima tempora, usque ad Mosem, referenda. — Quin scripta talia adesse possint, dubitari non potest. Nam de tempore, quo scribendi artem Israëlitae acceperint, quamquam nil constat, Mosi tamen eam non ignotam fuisse, verisimile est<sup>1)</sup> — Mosis vero, civitatem condentis, plurimum sane intererat, gravissimorum ipsius institutorum memoriam scriptis mandare. Quod revera ab eo factum esse videmus, quum duae decalogi tabulae, quae Exod. 40, 20 in arca, quae dicitur, foederis positae esse narrantur, 1. reg. 8, 9 ibi inventae esse perhibeantur. Legum omnino scribendarum studium multo prius fuisse putandum est, quam historiarum; eumque morem non solum Samuelis tempore fuisse legimus 1. Sam. 10, 25, sed etiam pentateuchi auctores multis locis, Mosem leges suas scripsisse, contendunt, e. c. Exod. 24, 7; unde hoc certe concludendum est, inter auctorum, qui hoc referunt, manus fuisse scriptas leges.

Accedit, quod veteres fontes diserte citantur, Num. 21, 14. — Deinde ex omnium antiquitatis populorum more, etiam Hebraeis antiqua fuisse carmina inter itineris per desertum tempora cantata, facile concluditur; e. c. Exod. cap. 15., priusquam Israëlitae in Palaestinam venerint, compositum esse, ostendit versus 16.

Loci, qui potissimum ex Mosaica antiquitate in librum nostrum transiisse videntur, hi fere sunt: Exod. 15., Exod. 20., Exod. capp. 21—23, quae brevissimum continent legum omnium complexum; deinde populi numerus accurate descriptus ad numerationem vere factam pertinere videtur, Num. 6, 22—27; stationum deinde itineris enumeratio Num. 33. antiquissima esse ducenda est propter brevitatem annotationum historicarum et quod loca nominantur, quorum in reliqua itineris historia nulla superest memoria. Praeterea Exod. 13. Gen. 14., alia.

**§. 9. 2. Prior continuae historiae auctor.**

Quum litterarum studium apud Hebraeos magis excultum esset, sacerdos aliquis aut propheta continuam rerum civilium et sa-

1) Cf. BLEEK, Stud. u. Crit. 1831. 3. p. 495. Freiburger Zeitschrift 4tes Hft. p. 1—65.

crarum historiam componere suscepit, inde a mundi creatione gentis suae origines celebrans, fontibus usus scriptis et narrationibus populi ore traditis, documenta illa antiqua, quorum modo mentionem fecimus, in opus suum inserens, leges potissimum et instituta religiosa ita describens, ut ipsius tempore usu venerant, originem eorum haud immerito ad Mosem, reipublicae auctorem, referens. Adscribenda est huic auctori maxima pars eorum, quae leguntur in quatuor prioribus libris. Agnoscuntur ejus scripta ex majore simplicitate et vividiore orationis colore. Accedit signum externum, quod per Geneseos librum maxime ad dignoscendam rem idoneum est. Nam quum sciret auctor, Mosem Hebraeorum Deo, ut secerneret eum ab ethnicorum diis, nomen sacrum indidisse מֹשֶׁה, quod patriarchis nondum notum erat: consulto in narrandis rebus ante Mosem gestis hoc nomine abstinuit et tum demum eo usus est, quum Exod. 6. ejus originem narrasset. Quare per Genesin hujus auctoris scripta propter usum nominis מֹשֶׁה eloistica dici solent.

Cujus auctoris opus Sauli fere vel primis Davidis temporibus adscribendum est. — Inter Mosem et scriptorem nostrum satis magnum esse temporis intervallum, indicare videtur libri finis (Deut. 34, 10), qui eidem auctori tribuendus est. Deinde aut ultima judicum aetate aut posteriore etiam eum vixisse ex eo eluet, quod Num. 32, 41 ad Mosis tempora refert rem, quae iudicibus regnantibus facta est (Jud. 10, 4.). Aperte autem scriptoris tempore reges inter Israëlitas jam constitutos fuisse, probatur illis locis, quibus patriarchis promittuntur reges ex posteris exstituti (Gen. 47, 6. 16. — 55, 11—56, 31); nam ante Saulum spem regum futurorum populi principibus non fuisse, documento est 1. Sam. 8., quum perquam invitus Samuel regem eligeret. Deinde, ubi de dato ad res sacras argento agitur, fere semper dicitur (e. c. Exod. 30, 15) בְּכָל־הַמִּזְבֵּחַ, unde concludere licet, quo haec scriberentur tempore, vulgari usui aliud ejus ponderis genus inserviisse, quod, collato loco 2. Sam. 14, 26., videtur fuisse בְּכָל־הַמִּזְבֵּחַ, ad regum ergo pertinens aetatem.

Ad recentiora vero, quam Sauli vel prima Davidis tempora, haec pentateuchi pars ea de causa referenda non est, quod tam accurata in ea inest veteris tabernaculi, quod dicitur, foederis ejusque vasorum descriptio, ut dubitari nequeat, quin scriptor oculis suis illa conspexerit, antequam Salomonis extrueretur templum, quod illas res magnopere variatas continebat. Neque ullo

loco auctor prodit, jam novisse sese Hierosolymorum urbem, quam Davides regni fecit caput, nam quae memoratur Gen. 14. urbs Salem, alia parva est urbs<sup>1)</sup> (cf. Joh. 3, 23. Judith 4, 4), non Hierosolyma; nee terra Moriae (Gen. 22, 2) ad templi montem spectat, sed ad regionem Moreh prope Sichem urbem (Gen. 12, 6)<sup>2)</sup>. — Quare quum Davidis tempora nulla re prodantur, Sauli posissimum aetate hujus partis auctor vixisse existimandus est.

### §. 10. 5. Posterior historiae continuae auctor.

Brevi tempore post aliis scriptor librum illum, quem modo descriptsimus, augere coepit, addere, quae ipsi aliis ex fontibus nota essent aut quae ipsius ingenio de rebus illis antiquis uberius dicenda esse viderentur. Quo facto ex suis et veteribus illis librum composuit, eundem fere, qui nunc est pentateuchus excepta maxima Deuteronomii parte. Minus simpliciter hic scripsit et narrationes miraculis magis refertas tradidit. Sed quae hujus et quae prioris illius scriptoris sint, prorsus accurate distinguere non possumus; in universum autem historicas res multas posterior addidit, vaticinia antiqua interdum ad sua tempora conformavit, legum vero descriptionem minus mutavit. Nomine מִתְּנָה hic utitur etiam in narrandis rebus jam ante Mosem gestis.

Quae recentior historicarum rerum descriptio, quum non ita multo post priorem illam conscripta esse videatur, ad Salomonis fere tempora referenda est, quae etiam nonnullis libri locis indicantur. Nam Num. 24, 17 de Moabitis subjiciendis sermo est, quos Davides vicit 2. Sam. 8.; Gen. 27, 40 Edomitae Israëlitis servituri esse dicuntur, quos idem subjicit Davides; statim vero, eos jugum a se decussuros esse, adjicitur, quod referri potest ad eorum a Salomone defectionem, cf. 1. reg. 11, 14. 21. — Non vero post Salomonem scriptam esse hanc partem, perspicuum est. Nusquam enim, in diversas partes populum jam abiisse, proditur; de omnibus Israëlitarum tribibus nullo facto discrimine sermo fit, neque adsunt indicia inimicitiae, quam scriptori Judaico contra tribus septentrionales esse oportebat.

1) quae Hieronymi tempore etiam aderat, cf. BLEEK diss. adv. Bohlen.

2) cf. BLEEK, Stud. u. Crit. 1831. 3. p. 520.

ibidem aequaliter de aliis legibus obiectis. **S. 11. 4. Deuteronomium.**  
Additum est postea scriptum, quod unum et ab uno viro compositum esse apparet, Deut. 1—52, 47, continens repetitas antiquas leges in orationibus nonnullis tanquam paucis ante obitum diebus a Mose habitis. Quod diversum esse a priore illo legum libro elucet ex diverso animo, quo constituae sunt singulae leges; quibus praeterea additae sunt novae ex recentioris temporis usu.

Quae recentissima pentateuchi pars ad ultima regni Judaici ante exilium tempora referenda est. Argumento sunt leges, quibus differt a priore legum libro. Levitarum primum plurimis locis ea fit mentio; ut perspicuum sit, eos tum temporis pauperes, patria carentes, peregrinos per Judaeorum domos dispersos fuisse, quum antea urbes suas satis idoneas habuissent. Qui rerum status post regni divisionem incepit esse, quum Levitae ex regno septentrionali pellerentur (cf. 1. reg. 12, 28—31. 2. Chron. 11, 15. 2. Chron. 13, 9.). Quare adhortatur Deuteronomii auctor, ne deserant Judaei Levitas inopes, qui ad ipsos confugerint (cf. Deut. 16, 11. 18, 6—8. 12, 19. al.).

Deinde Deut. 20, 11—16 de bello leges proferuntur, quae pertinent ad bellum regnandi causa suscepta, qualia inde a Davidis demum tempore gesta sunt; priores contra leges id solum bellum respexerant, quod gestum est ad occupandam Palaestinam.

Deut. 17, 14—19 regibus leges proponuntur, quae tum demum opus erant, quum malorum regum exempla adfuissent; cf. 2. reg. 11, 12. 2. Chron. 23, 11. 16. — Deut. 32, 15 Iudeos jam expertos fuisse majoris splendoris tempora, probatur, qualia fuerunt Davide et Salomone regnibus. — Deut. 28, 56. 49 etc. de Assyrico sermo est exilio; unde concluditur, post regni septentrionalis excidium hunc locum scriptum esse. — Deut. 12, 5. 16, 2 et aliis locis multis studium proditur universi Jehovahe cultus Hierosolyma transferendi; quam cultus Hierosolymitani victoriam Josiae demum tempore perfectam fuisse, constat, quum antea etiam aliis locis Jehovahe sacra fierent, quod probatur 1. Sam. 20, 29. 1. reg. 3, 2. — Josia demum omnium sacrorum extra illam urbem conditorum eversionem perfecit 1).

1) Non enim falsorum tantum deorum sacra extra Hierosolyma fuisse videntur, sed etiam Jehovahae sacra, quae aequo studio reges Ju-

Referenda est ideo Deuteronomii origo ad tempora post di-  
rutum septentrionale Israélitarum regnum, i. e. ad octavum vel  
septimum a. Chri. saeculum. — 2. reg. 22. lex Mosaica in tem-  
plo a summo sacerdote repertal esse prohibetur. Quae universa  
lex Mosaica fuisse nequit, aliquid intelligi non possit, quomodo  
illa, quae per tot saecula valuerit, subito prorsus ignota evase-  
rit. Quare concludi licet, de Deuteronomio sive de repetita le-  
gum ratione illo loco sermonem esse, quae optime quadrat in  
tempora, quibus consummata est lex Mosaica et perfecta cultus  
Hierosolymitani victoria. De deuteronomio enim, quae ibi nar-  
rantur, intelligenda esse, probari videtur locis 2. reg. 22, 49.  
2. Chron. 34, 24. 25, ubi legitur, Josiam prolatu illo libro  
perterritum fuisse propter exsecrationes, quae in eo scriptae fue-  
rint. Quae ad Deut. 28. potissimum referri possunt. Pia  
vero aliqua sacerdotum fraude librum illumatum demum scriptum  
esse, nulla reprobatur, sed hoc tantum nondum omnibus eum  
notum fuisse; quare paulo ante conscriptum esse eum oportet,  
et Hiskiae quidem, ut videtur, temporibus, qui et ipse sacrorum  
fuit instaurator (cf. 2. reg. 18. 2. Chron. 29—31.) et diligens legum Mosaicarum observator (2. reg. 18, 6). Hac  
vero aetate componendi Deuteronomii causa vera maxima. Nam  
quum septentrionale Israélitarum regnum ob inobedientiam erga  
Deum eversum esset, et Judaei etiam ab Assyriis premerentur,  
solum salutis auxilium petendum esse videbatur ex accuratissima  
legum cura; quare propheta aliquis leges Mosaicas repetivit,  
ad ditis, quae opus essent, injunctis gravissimis admonitionibus de  
instante periculo, non neglecto solatio captivis Israélitis dando,  
fore, ut, si sese emendavissent, in patriam redirent (Deut. 30.). Ut majorem consequeretur auctoritatem, ad Mosem orationes suas  
retulit. Qui novus legum liber Josia regnante in publicam  
notitiam receptus est.

### §. 12. Singulorum tamen pentateuchi locorum origo prorsus certa non est.

Compositus est ita ex quatuor illis elementis universus pen-

---

daici everterunt, quod cultus divinus legitima sacerdotum cura et  
custodia exemptus nimis facile corrumpebatur.

tateuchus. Quod vero singuli loci ad certam quandam partem absque omni dubitatione non possunt referri, haec causa esse mihi videtur: Interpolationes diversis temporibus passi esse videntur libri antea conscripti, mutatique loci antiqui ex recentioris aetatis usu; unde nostrum de illis judicium incertum redditur; nam multo fortasse antiquiores sunt loci, qui propter interpolationes istas videntur recentiores esse. Atque id leges singulas aut vaticinia legentibus accidet interdum, ut, quum initium multam spirare videatur antiquitatem, finis ad recentiorem aetatem respi- ciat. Quae res ex additamentis postea factis explicanda est.

---

## CAPUT II.

### De Mosaica legum Judaicarum auctoritate.

---

#### §. 13. *Leges antiquiores sunt, quam libri, quibus continentur.*

Quae quum sit de pentateuchi origine sententia, putet for- tasse quispiam, minimam ita relinquendi legibus Judaeorum auctoritatem Mosaicam, quarum paucae tantum ad illius aetatem referan- tur, reliquae Sauli demum aut posteriorib[us] etiam temporibus con- scriptae esse dicantur.

Sed omnia illa, quae dicta sunt, ad externam tantum perti- nent formam, qua litteris mandata sunt instituta illa Judaica; quod postea factum esse potest, quamvis multo antiquiora sint instituta ipsa, quorum origo neutiquam Mosi abjudicanda est. Immo, etiamsi nullae adessent leges a Mose ipso scriptae, Mosai- ca tamen earum auctoritas ea sola de causa non jam foret neganda. Nam si hoc tenuerimus, sanum de Hebraeorum historia judicium nunquam eo temeritatis processurum esse, ut Mosem revera fuisse neget illum Israëlitarum ex captivitate liberatorem, Dei cultus at- que reipublicae auctorem: legum etiam illius reipublicae eundem fuisse latorem, tamque accurate novae civitatis instituta eum or- dinasse, quam tempora illa poposcerint, procul dubio habebimus.

Quare quamvis scripta legum forma, quae nunc superest, recentior sit, fundamentum tamen earum Mosaicum esse putandum est. Scriptores posteriores et vetustis usi sunt scriptis documentis, quorum multa etiam conspici in pentateucho supra vidimus<sup>1)</sup>, et, quae ipsorum temporis usu recepta esse videbant, satis accurate descripserunt. Cujus rei testimonio est ipsa Hebraeorum historia, cuius facta ea sunt, quae optime ad instituta illa Mosi tributa quadrent<sup>2)</sup>.

#### §. 14. *Quomodo, utrum lex aliqua ad Mosem referenda sit, necne, dignoscatur.*

Quod vero instituta illa satis multo demum post Mosem in librum recepta esse scimus, inde id efficitur, ut non omnia ita, ac leguntur, pro Mosaicis habeamus. Nam reipublicae initii a Mose constitutis, postea haec vel illa ex diversorum temporum necessitate mutata esse, atque addita, quae initio nondum opus fuerint verisimile est. Quare hanc puto legislationis Hebraeorum rationem fuisse: Aderant vetusta instituta Mosaica, scriptis partim mandata, partim memoria tantum obsequentium servata. Addeabantur interdum, quae tempus posceret<sup>3)</sup>. Antiquo vero illi, qui aderat, legum codici in summa auctoritate posito novae hae leges interserebantur, et inde eadem, qua vetustae, habebantur dignitate. Quo factum est, ut, qui postea res Hebraeorum sacras atque publicas libro describere conaretur, quae fundamento illi a Mose posito adnumeranda, et quae ei postea superstructa essent, discernere non posset.

Quare querentibus nobis, utrum certa aliqua lex in pentateucho obvia Mosi adscribenda, an ad quam aliam aetatem refe-

1) Cf. BLEEK (Stud. u. Crit. 1831. 3. p. 488 sqq.) qui Lev. 1—7. 16. 13. 14. 19. jam in deserto conscripta esse, probat, quia ibi castrorum fiat mentio; eodem modo Exod. 25—31, 11., quia ibi non sacerdotes in universum nominentur, sed Aaron ejusque filii, neque discriminat fiat inter sacerdotem summum et reliquos.

2) e. c. jam ex Samuelis historia apertum esse, leges et instituta pentateuchi revera inter Israëlitas fuisse, probatur Freiburger Zeitschrift, 6tes Hft. pag. 123.

3) Probatur loco Hos. 8, 12, etiam tum leges scribi nondum desiisse; nam forma imperfecti אָכְלָה, non de vetustis legibus, sed de iis, quae tum temporis scriberentur, sermonem esse, indicat.

renda sit, nil restat, nisi ut ita rem discernere studeamus: Specienda est interna ipsius legis indoles; inde judicandum, utrum ad consilium ac rationem, quam Moses in condenda republica sectus est, illa conformata sit, nec ne. Deinde altera instituenda quaestio, num illa lege jam Mosis tempore opus fuerit, an posterioris demum aetatis necessitate ad eam ferendam homines induci sint. — Quae res si propter pauca antiquae Hebraeorum historiae nobis relicta monumenta pro certo constitui hoc modo non potuerit, in *verisimilitudine* nobis acquiescendum est.

---

### CAPUT III.

#### **De singulorum pentateuchi locorum, qui de anno septimo et jubilaeo scripti sunt, origine.**

---

##### **§. 15. Exod. 21, 2—11 et Exod. 25, 10. 11.**

Quae hucusque in universum de pentateuchi origine et Mosaica legum Hebraeorum auctoritate disseruimus, nunc ad judicium de singulis locis, quorum cognitione nobis de Hebraeorum anno jubilaeo quaerentibus opus est, adhibenda sunt.

Hic primum loci Exod. 21, 2—11 et Exod. 23, 10. 11., quorum alter legem de servis septimo anno dimittendis, alter de quiete agris concedenda continet, spectandi sunt, quoniam nisi conjunctam cum his nostram de anno jubilaeo legem perpendere non possumus. Quae capita Exod. 21—23 supra (§. 8) vidimus pro antiquissimo legum compendio habenda esse, pro brevi quasi commentario ad decalogum, qui legitur Exod. 20., facto, cuius origo propter legum simplicitatem et severitatem ad Mosaicam aetatem videtur referenda esse. In primis certe judicum temporibus eam posuerimus, si forte quis cap. 23. versu 30. probari contendit, ejus capititis auctorem, non subito, sed paullatim Palaestinam occupatam esse, jam novisse; quamquam et praevidere hoc

Moses bene poterat, et ille versus in fine loci nostri positus recentioris scriptoris mutationem passus esse facile putatur.

Quae quum videatur horum capitum aetas esse, maxima iis, quod ad legum ibi scriptarum originem Mosaicam pertinet, adscribenda est auctoritas, quoniam, quominus eas ad Mosem ipsum referamus, nulla re prohibemur.

### §. 46. Levit. 25.

Sequitur Lev. 25., legem de anno jubilaeo ipso continens. Qui locus libro illi, quem supra §. 9. descripsimus regnante Saуlo vel Davide compositum, annumerandus est. Ne vero huic capiti, ita certe, uti conscriptum est, eandem, atque illis Exod. 21—23, adscribamus vetustatem Mosaicam, monet, quae inter hoc et illa intercedit de servis manumittendis discrepantia, quam vere adesse infra (§. 39.) videbimus.

Quominus vero, Lev. 25. jam in primo illo majori libro locum habuisse nec recentiori demum tempore ei additum esse, putemus, nil obstat. Nam primum caput ipsum nil continet, quod recentiorem aetatem indicet. Si multas leges sacerdotum commodi causa postea prioribus insertas esse putaveris, nostro loco nil ejusmodi adest. Nam quae v. 32—34. de Levitarum urbibus legenduntur, non eorum partium studio, sed ad illam legem agrariam justo modo ad Levitarum conditiones accommodandam scripta esse, infra (§. 35.) exponemus. — Neque deinde quae proxime antecedunt capita, alias nonnullas leges exponentia, ad recentiorem aetatem nostro capiti parandam valent.

Sed dubitatio aliqua oriri potest propter, quod sequitur, caput 26.; quod et versuum 34 et 35. causa arcte cum capite nostro conjungendum esse et versibus 30 et 42—45. recentiorem aetatem prodere videtur, quam cui adscriptissimus cap. 25. Nam idolatria, cuius mentio fit v. 30., Davidis tempore fere extincta erat et postea demum, malis regibus regnantibus, denuo dominari coepit. Deinde quod non solum exilium minatur auctor, sed etiam v. 42—45 spem liberationis adjicit, non aliter videtur explicari posse, nisi aut instante certo jam exilio aut parte aliqua populi jam in terras peregrinas abducta. Nam aliter si quis exilium minatur statimque liberationem praedicit, maxime sane infringitur minarum vis. Optime vero quadrat cap. 26, in tempora, quibus Deuteronomium adscriptissimus, quibus et ad monen-

dos Judaeos et ad consolandos Israëlitas septentrionales jam abductos bene inservire poterat. Accedunt similitudines cum ejusmodi minis in Deuteronomio et Jeremiae libro obviis. Quare haud immerito hoc caput illis post Hiskiam temporibus adscripturimus. Sed nihil inde ad judicium de capite 25. efficitur. Nam aut cap. 26. temporum successu mutationes passum esse potest putari, aut vero omnino non cum cap. 25. ita conjungendum est, ut utriusque eadem habeatur aetas esse. Nam quod v. 34. 35. de anno sabbatico sermo est, haud indicat, hoc caput ad firmandas solius antecedentis capitum leges scriptum esse, sed facile eo explicatur, quod omnino leges de sabbatis et gravissimi momenti esse habebantur et saepissime migrabantur. Cum cap. 27. potius cap. 25. arcte videtur conjungendum, cap. 26. vero interpositum esse. Nam cap. 27. in enumerandis legibus pergit; eadem, qua capita antecedentia, formula leges annunciat v. 1., cf. cap. 25, 1. 24, 1. 23, 1; et de anno jubilaeo afferit, quae bene quadrent ad ea, quae cap. 25. praescripta sunt. Cap. 26. vero continet finem totius legislationis postea additum; quare aptior est ei locus post cap. 27.; sed fortasse propter illam ipsam causam externam, quod v. 34. 35 anni sabbatici mentio fit, statim post cap. 25. interpositum est. Quare quae illius capitum recentior videtur esse aetas, ad constituendum cap. 25. et 27. tempus vim non habet.

Sauli igitur vel Davidis fere temporibus cap. 25. scriptum est; num vero mandata vere Mosaica, licet non toti legi, nonnullis tamen ejus partibus subsint, infra demum (§. 49. 50.) constitutere poterimus, ubi de singulis ejus institutis accuratius quaesiverimus, et, num ea Mosis temporibus convenient, nec ne, intellecterimus.

### §. 17. *Deut. 15, 1—18.*

Deuteronomii deinde cap. 15., continens repetitas leges de anno septimo et aliqua ex parte variatas, cum universo libro Deut. 1—32, 48 (cf. §. 11.) recentiorum temporum, inde a Hiskia fere usque ad Josiam, originem habet.

### §. 18. *Quae sit trium illorum locorum inter se ratio.*

Quae quum ita se habere videantur, tres illi loci, qui in quaestionem nostram maximam vim habent, eodem temporis or-

dine alter alteri succedunt, quo in pentateucho positi sunt, primus Mosis, alter Davidis, tertius Hiskiae referens aetatem. Inde singulorum, quae continent, institutorum auctoritas Mosaica di-judicanda erit, si forte invenerimus, diversis locis diversam ea speciem pree se ferre. Habemus ita legam illarum historiam quasi; qua in re dolendum est sane, quod nec primo loco, Exod. 21. 23., nec tertio, Deut. 15., ipsius anni jubilaei mentio fit.

## CAPUT IV.

### De nomine anni jubilaei.

#### §. 19. Interpretationes variae.

Nomen, quod illi anno, de quo nobis quaestio est, inditur, שָׁנָה הַיּוֹבֵל est, Lev. 25, 13. 40; aliis vero locis (Lev. 25, 10 etc.) omittitur יְמִינָה; unde יְמִינָה in nomen proprium hujus anni transiisse elucet.

Cujus vocis diversae adsunt interpretationes<sup>1)</sup>, quarum multae magis ex anni illius ipsius vi et ratione videntur inventae esse, quam ex vocis radice derivatae. Ita LXX illi interpretes verterunt: ἔτος τῆς ἀφέσεως, ἀφεσις; quod ex agrorum et servorum dimissione illo anno facta ortum esse appetet; accedit, quod Lev. 25, 10 רְאֵשׁ־יְמִינָה, remissio promulganda esse dicitur, qua re ipsum nomen יְמִינָה explicari putaverunt.

Eodem modo vertit Philo, aut iisdem de causis vocem Hebraicam ita explicans, aut LXX interpretum secutus auctoritatem<sup>2)</sup>. Neque aliter Josephus (ant. III. 12. 3.) ἐλευθεραν nominis vim esse contendit, rem interpretans, non vocis originem.

1) Quas maxima cum perspicuitate retulit J. G. CARPOVIUS; cf. Apparat. antiquitat. pag. 447 sq. et dissert. saecul. de Hebr. anno jubil. Lips. 1721.

2) Cf. Philo de septenario p. 1189. — Alio loco Philo (ed. Mangey I. p. 141. 242.) nomen viri illius Jubal, Gen. 4, 21., quod mutata punctuatione Jobel legit, per μεταλλοιῶν sive μεταποιῶν explicat, quod

Quae interpretationes quum argumentis ex lingua Hebraica petitis destitutae sint, Syriacam nonnulli afferunt vocem, Jabal »succedere«, quoniam quisque hoc anno in patrum possessionem antea venditam iterum successerit<sup>1)</sup>. Sed primum ita res externo tantum et satis voluntario artificiosoque modo explicatur; deinde illa vox Syriaca pro derivata tantum ex primaria radicis nostrae vi potest haberi (cf. infra pag. 20. not. 2.); tum vero in ipsa lingua Hebraica tam aperti adsunt vocis simplicissimo modo derivandae fontes, ut alienis non egeamus.

Nec magis apta est Rabbinorum explicatio: lingua Arabica arieti nomen esse יְבָל, unde instrumentum musicum ex ejus cornu factum nomen duxerit. Quae si non mera est fictio<sup>2)</sup>, eo nos inducit, ut vice versa potius ex illo instrumento arietem nomen accepisse putemus.

### §. 20. Quae videatur vera vocis יְבָל vis esse.

Ad veram vocis vim indagandam primum ipsius יְבָל sonus nos dicit, quo movemur, ut ex naturalis sonitus imitatione eam ortam esse et clangorem quandam laetum vel tristem significare, putemus. Nam cum in omnibus fere linguis similia adsunt verba<sup>3)</sup>, tum nostro Latinorumque »jubilare«, idem apud Hebraeos fuisse, verisimillimum redditur. Tanta est vocis aequalitas, ut, Latinos ab Hebraeis eam accepisse, fere putaverimus; quod si verum esset, eam laetitiae clamorem significasse, apertum esset; nam ab ipso Hebracorum anno jubilaeo ante aetatem christianam Romani eam desumere non facile poterant. Sed, quum jam Varro (de ling. lat. §. 7.), vocem »jubilare« de rusticorum inclamatione ιών, ιώ interpretetur<sup>4)</sup>, verisimilius est, Latinos ipsos vo-

---

fecisse videtur ex illa verbi יְבָל vi, qua est: diffluere; nam diffluendo rerum forma mutatur. Cf. Hieronym. de nomm. Hebr. »Jobel = dimittens aut mutatus aut diffluet.« Quae significationes cohaerent quidem cum illa, quam nos voci יְבָל tributuri sumus, sed nimis procul a radice verbi absunt, quam quae anni jubilaei nomen explicent.

1) Cf. MICHAEL. Mos. Recht. II. §. 73. ROSENMÜLL. Schol. ad Lev. 25, 10.

2) Cf. BOCHART. Hierozoic. I. lib. II. 43. Qui et tubas ex cornu arietino factas esse et arieti id nomen fuisse negat.

3) Quae enumeravit GESENIUS in Lexic. hebr. edit. 4. p. I. pag. 723.

4) Cf. Forcellini. — Praeter Varronem Appulejus habet »jubilatio-nem«, Sil. Italic. »jubilum« clamorem rusticorum.

cem formasse; quamobrem, idem apud Hebraeos de eadem re factum esse, facile suspicamur.

Quae res antiquissimis Veteris Testamenti locis extra dubium ponitur. Nam primum יְמִבֵּל sive שׁוֹפֵר signifi cat instrumentum musicum, acutissimum et vastissimum sonum edens; cf. Exod. 19, 13. et Jos. 6, 4. 5. 6. 8. 13. — Deinde optime ad rem nostram quadrat, quod Jubal Gen. 4, 21. dicitur invenisse instrumenta musica; nam praesertim si cum Philone legerimus Jobel, ipsum viri nomen ejus historiam explicat; יְמִבֵּל est is, qui clangorem edit. —

Ipse tum locus noster Lev. 25. aliquod ad rem dijudicandam continere videtur momentum. Mos enim Hebraeorum quum fuerit, in rerum nominibus causas earum invenire, num tale quid etiam nostro loco adesset, quaesivi. Et revera Lev. 25, 10. 11. 12. nomine יְמִבֵּל indicari putaverim causas, cur instituta huic anno attributa sint servanda; nam non sine causa ter cumque vi aliqua hoc nomen scriptum esse potest; deinde vero v. 12. addita particula כי res certa redditur. Quod si recte vidimus, ex illis rebus, de quibus v. 10—12 sermo est, ad vim vocis conclusionem facere licet. Primum v. 10: »jubilaeus ille (annus) vobis erit, et (ideo) redeatis ad suam quisque possessionem.« Qui quidem reditus ad possessionem aequo jure ad יְמִבֵּל refertur, si laetitiae clamorem, ac si remissionem significat. At vero v. 11. »jubilaeus vobis erit, ne (ergo) sementem faciatis« non ad remissionem spectat, sed ad laetitiam tantum, quae conjuncta est cum quiete sabbatica. Quae res iterum indicatur v. 12. »nam jubilaeus ille est« (ideo sementem ne faciatis) et additur »sacer vobis sit« i. e. annus a negotiis vulgaribus separatus, quieti, laetitiae, pio cantui datus.

Quae quum ita sint, voci יְמִבֵּל laeti clamoris aliquam significationem esse oportet. — Restat, ut de radice vocis quaeramus. Et adest nobis verbum Hebraicum מִבֵּל<sup>1)</sup>, cuius vis prima (quae semper sensualis est) ad aquam pertinere videtur cum murmure et sonitu defluentem<sup>2)</sup>. Inde transit vis vocis ad homines perturbam decurrentes, quare Hiphil יְמִבֵּיל significat »ducere« (homini-

1) Cf. GESEN. Iexic. I. p. 722.

2) Unde מִבֵּל fluvius et יְמִבֵּל regio aquosa. Ex hac defluendi notione derivari possunt illae significationes, si jure ei voci adscribuntur, quarum supra mentionem fecimus: dimitti, succedere, mutari.

nes in locum aliquem Ps. 60, 11.; aut victimas vel dona in templum Ps. 76, 12.); deinde etiam »producere.« Propius vero ad primam illam cum sonitu defluendi aut decurrenti vim accedit: »clamorem p[ro]gaudio vel dolore edere«; *laeti* vero atque magni clamoris significationem usus magis retinuit. Inde יְזִבֵּל; is, qui aut: »id, quod laetum edit clamorem.«

Nostrum vero locum spectantes facillime, ut יְזִבֵּל pro substantivo abstracto, pro laetitia ipsa accipiamus, inducimur, ut sit annus laetitiae. Sed vetat forma יְזִבֵּל, quae concretum aliquid et activum significat<sup>1)</sup>. Quare non clamor laetitiae est, sed id, quod clamorem illum edit. Quamobrem propter Gen. 4, 21. Exod. 19, 13 et Jos. 6. ad instrumenta potissimum musica, cornua vel tubas, referendum est, quibus incipientis laeti anni signum dabatur; ita tamen, ut, quum postea יְזִבֵּל nomen hujus anni proprium evaderet, significatio vocis paullulum variaretur, ut non tubae illae indicarentur, sed annus ipse, cui laetus clangor proprius esset<sup>2)</sup>.

Est igitur יְזִבֵּל tubarum annus, laetitiae clamore inceptus, annus gaudio atque hilaritate insignis.

## CAPUT V.

### Singulorum institutorum anno septimo et jubilaeo injunctorum explicatio.

#### §. 21. *Duplex est anni septimi genus.*

Exegetico modo de singulis anni jubilaei et septimi institutis per se spectatis quaesituri, eum fere sequemur ordinem, quo

1) Cf. EWALD hebr. Gram. 2te Aufl. §. 326.

2) Num. 36, 4 יְזִבֵּל ex vocis forma genere masculino usurpatur, ceteris vero locis genere feminino, quod a voce נָשָׁה, cuius notio cogitatione nostrae voci tribuitur, ad יְזִבֵּל transiit. Ipsam vocem vero his locis non adjективum vel participium, sed substantivum esse, apparet.

descriptio eorum Lev. 25. procedit. Quia in re, ut ab Lev. 25. ad alios illos locos, Exod. 21. 23. et Deut. 15. nonaunquam divertamur, necesse erit, ut, quae anni septimi ad jubilaeum fuerit ratio, intelligamus.

Hoc statim quaestioni nostrae praemittendum est: duplex esse legis de anno septimo genus. Alterum est, quo septimo quoque anno, quem sabbaticum dicere licet, quies agris per totam simul terram danda erat, Exod. 23, 10. 11. Lev. 25, 2—7. Ad eundem hunc annum sabbaticum pertinent, quae leguntur Deut. 15, 1—11. et Deut. 31, 10. Alterum vero anni septimi genus id est, quod non per totam terram omnibus simul celebrandum erat, sed singulis familiis numerandum, ex quo tempore Hebreus aliquis servitutem subierat, ut septimo anno manumitteretur; Exod. 21, 1—11 et Deut. 15, 12—18. Quam servorum manumissionem non eodem anno, qui toti terrae sabbaticus celebatur, faciendam fuisse<sup>1)</sup>, inde apparet, quod Exod. 21, 2. Deut. 15, 12. 18. disertis verbis dicitur: sex annos tibi serviat, septimo liber abeat; illis igitur, qui secundo vel tertio post sabbaticum anno servitutem inierant, proximo anno sabbatico libertas nondum reddenda erat, sed secundo vel tertio anno post.

Itaque diligenter inter haec duo anni septimi genera distinguendm nobis est, ne, ad alterum quod pertinet, ad alterum falso referamus<sup>2)</sup>.

### S. 22. *A quo tempore incipienda fuerit annorum sabbaticorum et jubilaeorum computatio.*

Ordinem cap. 25 sequentibus primum versuum 2—7., qui continent legem de anno sabbatico, exhibenda nobis est interpretatio. Conferendus est locus Exod. 23, 10. 11. brevius easdem continens res.

1) Cf. MICH. M. R. 2 Thi. §. 127. CARPOV. app. ant. p. 443.

2) Quae commutatio facta est in Freib. Zeitschrift 1tes Hft. pag. 15. »Hatte einer 6 Jahr gedient, so erlangte er im 7ten Jahre die Freiheit. Zwar war jetzt das Brachjahr und er konnte nicht so gleich als Tagelöhner in Arbeit treten u. s. w.« — Mirum est, idem accidisse ROSENmüllerO, qui quamquam in schol. ad Exod. 21, 2 annum, quo servi liberentur, non esse sabbaticum, recte disputat, in schol. ad Lev. 25, 7 tamen annum sabbaticum ea quoque de causa institutum esse contendit, ut servi septimo anno manumissi, statim rei familiaris fundamenta jacere possent, quum

Uti omnes ceteras, hanc quoque legem populo promulgandam Moses a Deo accepisse dicitur. Incipit ita: Si veneritis in terram, quam vobis dabo, quietem mihi terra quiescat, sive sabbatum agat. <sup>7:17</sup> veram omnium sabbatorum vim indicat: Dei honorandi causa aguntur, Deo sacra sunt; vulgaris temporis usus interruptur et sacrificii quasi instar Deo illud tempus offertur.

Instituenda est hoc loco quaestio, quo tempore primum annus sabbaticus celebratus sit<sup>1)</sup>; unde pendet numeratio jubilaei. Verba illa: »si veneritis in terram, sabbatum agat terra«, ut primus annus, postquam in Palaestinam Hebrei intraverint, statim sabbaticus sit, imperare videntur; sed, hoc fieri non potuisse propter victus necessitatem neque convenire quietem ante laborem, apertum est. Quare v. 2. ita potius interpretandus, ut sit thema quasi breviter propositum sequenti descriptioni uberiori; id quod ea re probatur, quod v. 3: deest particula conjunctiva. Itaque hoc modo v. 2. intelligendus est: Si occupaveritis terram, sabbati hoe institutum initium habeat, quies certis annis terrae fiat, ita quidem (v. 3.), ut primum per sex annos fructum capiat, septimo deinque quietem agris concedatis. Quare etiam primi anni jubilaei tempus ab occupata Palaestina numerandum erat, ita ut eodem, quo nunc anni jubilaei celebrantur, modo magnae rei gestae, Palaestinae expugnatae, memoria ei subesset.

Sed licet hoc fuerit legislatoris consilium, re tamen id effici non poterat. Nam non statim primo anno omnem Palaestinam occupatam esse, sed sat longum post intervallum tribuum Israëliticarum unam post alteram sedes sibi comparasse, constat. Quare ejusmodi communis omnibus rerum bene gestarum memoriae festum illud non fuit; et ita magna ex parte ejus instituti vim infringi necesse erat. — Singulas vero Israëlitarum tribus, ex quo suas quaeque cepisset sedes, numerasse annos sabbaticos et

liceret frugibus sponte nascentibus vesci ovesque dono acceptas, ubi vellent, pascere. Non enim semper, sed fortuito tantum non-nunquam accidit, ut liberatio servorum in annum sabbaticum incideret. Quare haec causa legis esse non poterat.

I) Quam protulit MAIMONIDES (traet. Schemitta Vejobel cap. X.) sententiam, inde a quarto decimo anno, postquam ingressi sint in Palaestinam, Israëlitas hanc annorum sabbaticorum computationem instituisse, quum septem annos in terra subigenda, septem in distribuenda peregissent, mera est conjectura contraria iis, quae de illius terrae occupatione ex S. S. nobis innotuerunt.

jubilaeos, non minus negandum est; nam per totam terram simul illos celebrandos fuisse, ex universa illa lege ceterisque, qui de anno sabbatico adsunt, locis 1) manifestum est. Convenisse igitur aliquando inter Israëlitas de tempore, ex quo communem illorum annorum numerationem inciperent, necesse est. Quod quando factum sit, quoniam nulla ejus rei superest historiae memoria, constitui non potest.

### §. 23. Anni sabbatici descriptio.

Sequitur v. 5—7. anni sabbatici descriptio. Post fructus per sex annos ex fundis captos septimo et agris et vineis 2) quies concedenda erat Deo sacra. שְׁבָתָה שְׁבָתָה, feriae magni sabbati, cum vi aliqua dictum est propter rei gravitatem, quae et forma et iterata voce indicatur; cf. Lev. 23, 3. — Quo anno quaque agrorum, hortorum vinearumque cultura abstinendum erat. Quum verò in terra propter maximam foecunditatē insigne agri etiam sine cultura secundo et vel tertio anno satis multum frumenti sponte proferrent 3), nec vites non putatae uvas ferre prorsus desinerent, fructuum, qui anno sabbatico sponte proveniebant, usus concedebatur quidem, sed ita, ut messem et vendimiam facere agrorum possessoribus non liceret; nam Deo sacratus erat hic annus cum preventu suo (v. 5.), ideoque quodque singulorum in agros dominium cessabat; frugibus autem, quae Dei, omnium creaturarum patris, erant, vesci licebat omnibus et hominibus et animalibus, quaecunque in illas incidebant. Itaque agrorum dominus cibum inde sumebat, quem, frugibus non per messem collectis, quoque die ex ipso agro reportabat (v. 6.); eodem modo ejus servi et ancillae et mercenarii in diem conducti, nec minus peregrini apud Hebraeos habitantes, omnes preventu illo vescebantur, nemo colligebat. Jumenta in agris pascebantur; feras fructus illos carpentes depellere non licebat, quoniam nullum hominibus in res Deo datas jus erat.

1) Cf. Deut. 31, 10, 15, 9. 1. Macc. 6, 49—53. Joseph. ant. XI. 8.  
5. XIII. 8. 1.

2) Notum est, omnes fundos Hebraeorum dividi in שְׁבָתָה, agros frumento proferendo destinatos, et שְׁבָתָה, hortos ad ferendas fruges nobiliores, arbores pomiferas et vites maxime idoneos.

3) Cf. Jes. 37, 30. Strabo XI. 4. 3.

Nominantur (v. 5.) fructus illi sponte nascentes קְצִיר חַמֵּץ, effusum messis, (a verbo סָפַח effundere), i. e. id quod provenit ex granis, quae, quum anni proximi messis fieret, effusa sunt, exciderunt. Cur vero uvae hujus anni dicantur עֲזֵב נְזִירִים, uvae nasiraeorum, variae sunt sententiae, quarum maximam speciem habet illa<sup>1)</sup>, ex qua vites dicuntur נְזִירִים ex similitudine nasi-raeorum Hebraeorum, qui capillos intonsos gerebant, quum anno sabbatico frondes, vitis capilli quasi, non rescinderentur. Quae interpretatio quum artificiosior tamen atque ex re specialiori petitia esse videatur, ita potius vocem illam explicaverim: נְזִיר a verbo נָזַר id est, quod separatur a vulgari vita usque atque inde sanctum fit; quare vites anno sabbatico ex universa ejus anni significatione נְזִירִים esse dicuntur, quoniam a vulgari usu separatae et Deo sacratae sunt<sup>2)</sup>.

#### §. 24. *Idem fuit anni sabbatici atque jubilaei initium auctumnale.*

Quum vero anno hoc sabbatico et sementem et messem fieri lex vetuerit, initium ejus non idem fuisse, ac vulgaris Hebraeorum anni, necesse est. — Primum anni mensem, constat, Hebraeis esse נִיר<sup>3)</sup>, cujus initium inde a Martii vel Aprilis novilunio numeratur. Quod si idem erat anni sabbatici initium, non unius, sed duorum annorum segetes propter illam legem perde-bantur. Nam quum in terris illis sementis fieri soleat mensibus Novembri et Decembri<sup>4)</sup>, anno Hebraico incipiente segetes in campis erant<sup>5)</sup>, quarum messis perfecta erat usque ad festum pentecostes<sup>6)</sup>. Itaque si idem illud anni sabbatici esset initium, praecedentis anni fruges demeti vetitum fuisse; quum vero ipsius sabbatici anni mense Novembri novam sementem fieri non liceret, caruisset sequens annus justo preventu. Quod consilium, omnem rem oeconomicam perditum, legi illi fuisse non posse,

1) Cf. GESEN. lexic. II. p. 42. — MICH. M. R. II. §. 74.

2) Quae videtur esse LXX interpretum sententia, qui vertunt: τοῦ ἀγιασμάτος.

3) Cui nomen antiquius erat אֶבְיבָּב, aristarum mensis, cf. Exod. 13, 4.

4) Cf. PAULSEN, Ackerbau des Morgenlandes pag. 43. DE WETTE, hebr. Archäologie §. 95.

5) Die mensis Nisan sexto decimo jam primas spicas adfuisse, apparet ex lege, quae scripta est, Lev. 23, 10—14.

6) Cf. PAULSEN l. c. p. 44; DE WETTE l. c. §. 97.

perspicuum est. Quare annum sabbaticum non incepisse a mense Nisan, sed ejusmodi ei fuisse initium, ut in eundem annum eundem segetum et sementis et messis caderent, necesse est.

Nec deerat Hebraeis ejusmodi anni initium<sup>1)</sup>. Josephus (ant. I. 3. 3.) ante Mosem illös annum incepisse narrat a mense תְּשׁוֹבָה, qui postea septimus factus est; Mosem vero mensem Nisan, quo eduxerit populum ex Aegypto, primum esse voluisse (Exod. 12, 2.), ita tamen, ut hoc anni initium in rebus sacris tantum, ad numerandum festorum cyclum adhiceretur, rebus vero civilibus atque oeconomicis pristinus ordo relinquatur. Duplex igitur Hebraeis annus erat, uti nobis annus est civilis et ecclesiasticus<sup>2)</sup>.

Annus igitur sabbaticus, cum agricultura tam arce cohaerens, annus oeconomicus erat, incipiens a mense Tisri, qui in nostrum fere Octobrem cadit. Et ita sane omnes illae legis istius difficultates optime solvuntur. Nam ita et sementis et messis et pomorum collectio atque vindemia<sup>3)</sup> in eundem annum incidunt, novoque anno nova incipitur agrorum cultura<sup>4)</sup>.

1) Ab Aegyptiis, quibus erat annus vagus qui dicitur, non accepere Hebraei suam temporum descriptionem; nam nimis magnum intererat discriminem, quum illi menses solares, hi lunares haberent. Jam ante commorationem in Aegypto ex terris trans Euphratem sitis, unde venerat Abrāhamus eos illam accepisse, verisimilius est. Chaldaeos enim menses lunares habuisse, probatur IDELER, Handb. d. Chronol. Berl. 1825. Iter Bd. pag. 205—211. Isdem eodem, quo Hebraeis, modo annum ex mensibus lunaribus cum solis cursu conciliatum esse, perhibetur l. c. pag. 213. Hieronymus vero omnes Orientis populos ab auctumno annum incepisse narrat, Comment. in Ezech. I. c. 1. — In universum Chaldaeis astronomiam prius notam fuisse, quam Aegyptiis, contenditur, IDELER, l. c. p. 198. 199.

2) In Vet. Test. non occurrunt quidem ejus discriminis vestigia semperque Nisan pro mense primo habetur; sed quod primus mensis Tisri dies, qui pro sabbato habebatur, eodem, quo anni jubilaei initium, modo tubarum clangore celebrabatur (Lev. 23, 24. Num. 29, 1.), inde potest explicari, quod illud anni oeconomici erat initium. Cf. MICH. M. R. IV. §. 200. Deinde locis Exod. 23, 16 et Exod. 34, 22 auctumni tempora nonnunquam pro anni fine habita esse, indicari videtur, cf. GÄTTERER, Abriss d. Chronol. 1777. pag. 147.

3) Cf. DE WETTE Arch. §. 100.

4) DE WETTE tamen (l. c. §. 178 et 215), num ab antiquissimis temporibus Hebraeis duplex illud anni initium fuerit, dubitat, sed simul cum aera Seleucidarum demum auctumnale illud initium in

Anni vero jubilaei, quo eadem erat agrorum quies, idem ac sabbatici initium fuisse, necesse est. Quod probatur capit is nostri vers. 9. Cur vero non primo, sed decimo mensis die ejus initium per terram pronunciandum fuerit, haec videtur causa fuisse, ut ejus prae ceteris annis sabbaticis excellentia significaretur, majorque vis ei inde adderetur, quod illo ipso die decimo dies piacularis, festum Hebraeorum omnium maximum, celebrabatur<sup>1)</sup>.

**§. 25. Anni jubilaei numeratio conjungitur cum annorum sabbaticorum numeratione.**

Conjungitur cum instituto anno sabbatico jubilaeus v. 8—17, ita ut alterius tempus ex alterius numeratione pendeat. »Et numeres tibi septem annos sabbaticos sive septies septem annos, unde efficiuntur undequinquaginta.« Itaque absolutis septem annorum hebdomadibus faciendum est, quod sequitur v. 9. »Totam tum terram vestram permeare jubeatis sonitum tubarum obstrepentium decimo die mensis septimi, qui dies est piacularis<sup>2)</sup>. Nam absolutis illis undequinquaginta annis, qui ex numeratione annorum sabbaticorum a mense anni vulgaris septimo incipiebant, instabat ille ipse mensis septimus Tisri vocatus, cuius die decimo נְזֵבָה annunciandum erat laeto tubarum clangore. »Et sacrum habeatis hunc annum quinquagesimum (qui modo incepit) et remissionem pronuncietis omnibus terrae incolis; nam annus jubilaeus vobis ille sit.« שָׁנָה הַחֲמִשִּׁים שָׁנָה proprie: annus quinquaginta annorum, i. e. ille annus, qui numerum quinquaginta annorum compleat, qui ultimus est in illo numero, quinquagesimus igitur annus<sup>3)</sup>.

---

usum receptum esse putat. Quod quo jure fiat, disquirere nostrum non est; sed annum certe sabbaticum auctumno initium habuisse, necesse est. Cf. CARPZOV. app. ant. p. 451. — IDELER (l. c. Iter Thl. pag. 491—494) quamquam, quin jam ante exilium duplex anni initium Hebraeis fuerit, dubitat, in negotiis civilibus tamen ab auctumno eos tempus constituisse, concedit.

- 1) Remissio ita peccatorum cum rerum externarum remissione conjuncta est. Cf. CARPZOV. p. 459.
- 2) Quae tradidere Rabbini de anni jubilaei intimatione satis multa, sed Vet. Testamenti auctoritate destituta, cf. ap. CARPZOV. p. 455 — 460.
- 3) Cf. Gen. 7, 11. — 2. reg. 13, 10. — GESENIUS hebr. Grammat. §. 118.

on nobis . . . ecclipe missorum isto modo omni . . . locumq[ue] omn[is] laudis . . .  
**§. 26.** *Non undequinquagesimus, sed quinquagesimus quisque annus jubilaeus fuit.*

Quamquam vero ita loco nostro diserte quinquagesimus quisque annus jubilaeus dici videtur, orta tamen quaestio est, num quinquagesimus fuerit, an undequinquagesimus; et revera tam gravibus rationibus utrumque disceptari potest, ut vir doctissimus J. D. MICHAELIS ad rem prorsus in incerto relinquendam commotus sit<sup>1)</sup>. Summa rei difficultas inde oritur, quod desunt prorsus notitiae historicae, quibus certo quodam tempore et iterum post certum temporis intervallum annum illum celebratum esse proderetur.

Rationes, quae ad stabiliendam sententiam, annum jubilaeum fuisse undequinquagesimum, proferri possunt, duae sunt potissimum:

Primum, quum universum illud annorum sabbaticorum institutum legislatoris studium prodat divisionis ex numero septenario per quaeque temporis spatia propagandae<sup>2)</sup>, ita ut dies septimus, mensis et annus septimus festi sint, sequi inde videtur, ut septies septimus, non vero quinquagesimus annus praecipuo honore ornetur. — Sed primum ejusmodi numerationem, ut sacro numero, septies septem, unitas adjiceretur, non contra morem Hebraeorum fuisse, probat festum pentecostale<sup>3)</sup>; deinde annum quinquagesimum undequinquagesimi loco positum esse, verisimile est, majoris facilitatis causa, qua hujusmodi numerus ad rationes computandas adhibetur; tum hoc etiam potest cogitari, legislatorum illi instituto annectere voluisse temporum descriptionem, ea que de re ad saeculi dimidium id transtulisse; quamquam ejusmodi chronologia in usum recepta non est.

Altera causa gravissima est et quae plurimos ad jubilaeum pro undequinquagesimo anno habendum commovit. Quum Lev. 25, 11., ut hoc quoque anno, quia Deo sacer sit, quies agris fiat, praescriptum sit: si quinquagesimus est jubilaeus, alter con-

1) Cf. MICH. M. R. II. §. 73.

2) Cf. PHILO de septenario pag. 1183.

3) Cf. PHILO de septenario p. 1192. — Quamquam quae Philo de numerorum vi disputat, in Veteris Testam. ingenium prorsus non cadunt.

tinue sequitur alterum annum sabbaticum<sup>1)</sup>, quum septies septimus jam fuerit sabbaticus. Non enim disjunctam fuisse annorum sabbaticorum et jubilaeorum computationem, ita ut non semper, sed interdum tantum jubilaeo proximus esset sabbaticus vulgaris, inde sequitur, quod Lev. 25. ita res describitur, ut pendeat jubilaei numeratio ex sabbaticorum computatione: » septem numeres annorum sabbata, tumque sit jubilaeus. « Non exiguum vero Israëlitis inde oriundam fuisse molestiam, quod per duos annos continuos justis agrorum fructibus carerent, negandum non est. Accedit, quod Lev. 25. 20. timor penuriae septimo anno oriturae removetur, multo majoris autem illius difficultatis propter biennii ferias verenda mentio non fit. — Sed ad cogendos nos, ut undequinquagesimum annum jubilaeum esse putemus, haec non sufficiunt. Nam quum ex gravissimorum auctorum sententia Palaestinae fertilitas olim propter incolarum diligentiam quam maxima fuerit<sup>2)</sup>: cum tertium quoque annum proventus spontanei aliquid tulisse, tum ex sex annorum praecedentium mesib; Hebreos colligere potuisse, quod non septimo solum, sed octavo etiam sufficeret, putandum est; nam ipsis Lev. 25. versibus 21. 22., quamquam de septimi tantum anni penuria sermo est, trium tamen annorum frumentum uno felici anno nasci posse contenditur. — Haec sunt, quae, ut legislatoris animo illa difficultas non ita magna esse videretur, effecisse putaverim. In usu vero multo minores etiam fuerunt illae angustiae, quum prorsus strenuam obedientiam illi legi factam esse, verisimile non sit.

Quae vero, ut quinquagesimum fuisse annum jubilaeum censemus, nos obstringant causae, hae sunt:

Primum ipsius loci Lev. 25, 8—14 interpretatio simplicissima ad hanc sententiam dicit apertissime. Numerantur primum (v. 8) ex septem annis sabbaticis plenaे annorum hebdomades septem; quarum summa efficit annos undequinquaginta; tum incipiens est annus jubilaeus (v. 9.); quod ne quis ipso ultimo undequinquaginta illorum anno faciendum esse putet, additur statim (v. 10), quinquagesimum, i. e. eum annum, qui absolutos illos undequinquaginta sequatur, jubilaeum esse. — Sed qui ni-

1) Cf. PET. CUNAEI de republ. Hebr. dissert. in Critic. Sacr. Tom. V. p. III. pag. 382.

2) TAC. hist. V. 6. — PAULSEN, Ackerbau des Morgenlandes pag. 7. Cf. Deut. 8, 7—9. Exod. 3, 8.

perspicuum est. Quare annum sabbaticum non incepisse a mense Nisan, sed ejusmodi ei fuisse initium, ut in eundem annum earundem segetum et sementis et messis caderent, necesse est.

Nec deerat Hebraeis ejusmodi anni initium<sup>1)</sup>. Josephus (ant. I. 3. 3.) ante Mosem illos annum incepisse narrat a mense נִיסָן, qui postea septimus factus est; Mosem vero mensem Nisan, quo eduxerit populum ex Aegypto, primum esse voluisse (Exod. 12, 2.), ita tamen, ut hoc anni initium in rebus sacris tantum, ad numerandum festorum cyclum adhiberetur, rebus vero civilibus atque oeconomicis pristinus ordo relinquatur. Duplex igitur Hebraeis annus erat, uti nobis annus est civilis et ecclesiasticus<sup>2)</sup>.

Annus igitur sabbaticus, cum agricultura tam arcte cohaerens, annus oeconomicus erat, incipiens a mense Tisri, qui in nostrum fere Octobrem cadit. Et ita sane omnes illae legis istius difficultates optime solvuntur. Nam ita et sementis et messis et pomorum collectio atque vindemia<sup>3)</sup> in eundem annum incident, novoque anno nova incipitur agrorum cultura<sup>4)</sup>.

- 1) Ab Aegyptiis, quibus erat annus vagus qui dicitur, non accepere Hebraei suam temporum descriptionem; nam nimis magnum intererat discriminem, quum illi menses solares, hi lunares haberent. Jam ante commorationem in Aegypto ex terris trans Euphratem sitis, unde venerat Abramus eos illam accepisse, verisimilius est. Chaldaeos enim menses lunares habuisse, probatur IDELER, Handb. d. Chronol. Berl. 1825. Iter Bd. pag. 205—211. Iisdem eodem, quo Hebraeis, modo annum ex mensibus lunaribus cum solis cursu conciliatum esse, perhibetur l. c. pag. 213. Hieronymus vero omnes Orientis populos ab auctumno annum incepisse narrat, Comment. in Ezech. I. c. 1. — In universum Chaldaeis astronomiam prius notam fuisse, quam Aegyptiis, contenditur, IDELER, l. c. p. 198. 199.
- 2) In Vet. Test. non occurunt quidem ejus discriminis vestigia semperque Nisan pro mense primo habetur; sed quod primus mensis Tisri dies, qui pro sabbato habebatur, eodem, quo anni jubilaei initium, modo tubarum clangore celebrabatur (Lev. 23, 24. Num. 29, 1.), inde potest explicari, quod illud anni oeconomici erat initium. Cf. MICH. M. R. IV. §. 200. Deinde locis Exod. 23, 16 et Exod. 34, 22 auctunni tempora nonnunquam pro anni fine habita esse, indicari videtur, cf. GATTERER, Abriss d. Chronol. 1777. pag. 147.
- 3) Cf. DE WETTE Arch. §. 100.
- 4) DE WETTE tamen (l. c. §. 178 et 215), num ab antiquissimis temporibus Hebraeis duplex illud anni initium fuerit, dubitat, sed simul cum aera Seleucidarum demum auctumnale illud initium in

Anni vero jubilaei, quo eadem erat agrorum quies, idem ac sabbatici initium fuisse, necesse est. Quod probatur capit is nostri vers. 9. Cur vero non primo, sed decimo mensis die ejus initium per terram pronunciandum fuerit, haec videtur causa fuisse, ut ejus prae ceteris annis sabbaticis excellentia significaretur, majorque vis ei inde adderetur, quod illo ipso die decimo dies piacularis, festum Hebraeorum omnium maximum, celebrabatur<sup>1)</sup>.

**§. 25. Anni jubilaei numeratio conjungitur cum annorum sabbaticorum numeratione.**

Conjungitur cum instituto anno sabbatico jubilaeus v. 8—17, ita ut alterius tempus ex alterius numeratione pendeat. » Et numeres tibi septem annos sabbaticos sive septies septem annos, unde efficiuntur undequinquaginta. « Itaque absolutis septem annorum hebdomadibus faciendum est, quod sequitur v. 9. » Totam tum terram vestram permeare jubeatis sonitum tubarum obstrepentium decimo die mensis septimi, qui dies est piacularis<sup>2)</sup>. Nam absolutis illis undequinquaginta annis, qui ex numeratione annorum sabbaticorum a mense anni vulgaris septimo incipiebant, instabat ille ipse mensis septimus Tisri vocatus, cuius die decimo נזוב annunciandum erat laeto tubarum clangore. » Et sacrum habeatis hunc annum quinquagesimum (qui modo incepit) et remissionem pronuncietis omnibus terraे incolis; nam annus jubilaeus vobis ille sit. « שנות החמשים שנה propriæ: annus quinquaginta annorum, i. e. ille annus, qui numerum quinquaginta annorum complet, qui ultimus est in illo numero, quinquagesimus igitur annus<sup>3)</sup>.

---

usum receptum esse putat. Quod quo jure fiat, disquirere nostrum non est; sed annum certe sabbaticum auctumno initium habuisse, necesse est. Cf. CARPZOV. app. ant. p. 451. — IDELER (l. c. Iter Thl. pag. 491—494) quamquam, quin jam ante exilium duplex anni initium Hebraeis fuerit, dubitat, in negotiis civilibus tamen ab auctumno eos tempus constituisse, concedit.

- 1) Remissio ita peccatorum cum rerum externarum remissione conjuncta est. Cf. CARPZOV. p. 459.
- 2) Quae tradidere Rabbini de anni jubilaei intimatione satis multa, sed Vet. Testamenti auctoritate destituta, cf. ap. CARPZOV. p. 455 — 460.
- 3) Cf. Gen. 7, 11. — 2. reg. 13, 10. — GESENIUS hebr. Grammat. §. 118.

os nobis quinque annorum ita dicitur sup. locumq. non tam.

**§. 26. Non undequinquagesimus, sed quinquagesimus quisque annus jubilaeus fuit.**

Quamquam vero ita loco nostro diserte quinquagesimus quisque annus jubilaeus dici videtur, orta tamen quaestio est, num quinquagesimus fuerit, an undequinquagesimus; et revera tam gravibus rationibus utrimque disceptari potest, ut vir doctissimus J. D. MICHAELIS ad rem prorsus in incerto relinquendam commotus sit<sup>1)</sup>). Summa rei difficultas inde oritur, quod desunt prorsus notitiae historicae, quibus certo quodam tempore et iterum post certum temporis intervallum annum illum celebratum esse prodeatur.

Rationes, quae ad stabiliendam sententiam, annum jubilaeum fuisse undequinquagesimum, proferri possunt, duae sunt potissimum:

Primum, quum universum illud annorum sabbaticorum institutum legislatoris studium prodat divisionis ex numero septenario per quaeque temporis spatia propagandae<sup>2)</sup>), ita ut dies septimus, mensis et annus septimus festi sint, sequi inde videtur, ut septies septimus, non vero quinquagesimus annus praecipuo honore ornetur. — Sed primum ejusmodi numerationem, ut sacro numero, septies septem, unitas adjiceretur, non contra morem Hebraeorum fuisse, probat festum pentecostale<sup>3)</sup>; deinde annua quinquagesimum undequinquagesimi loco positum esse, verisimile est, majoris facilitatis causa, qua hujusmodi numerus ad rationes computandas adhibetur; tum hoc etiam potest cogitari, legislatorem illi instituto annectere voluisse temporum descriptionem, eaque de re ad saeculi dimidium id transtulisse; quamquam ejusmodi chronologia in usum recepta non est.

Altera causa gravissima est et quae plurimos ad jubilaeum pro undequinquagesimo anno habendum commovit. Quum Lev. 25, 11., ut hoc quoque anno, quia Deo sacer sit, quies agris fiat, praescriptum sit: si quinquagesimus est jubilaeus, alter con-

1) Cf. MICH. M. R. II. §. 73.

2) Cf. PHILO de septenario pag. 1183.

3) Cf. PHILO de septenario p. 1192. — Quamquam quae Philo de numerorum vi disputat, in Veteris Testam. ingenium prorsus non cadunt.

tinue sequitur alterum annum sabbaticum<sup>1)</sup>, et quum septies septimus jam fuerit sabbaticus. Non enim disjunctam fuisse annorum sabbaticorum et jubilaeorum computationem, ita ut non semper, sed interdum tantum jubilaeo proximus esset sabbaticus vulgaris, inde sequitur, quod Lev. 25, ita res describitur, ut pendat jubilaei numeratio ex sabbaticorum computatione: »septem numeres annorum sabbata, tumque sit jubilaeus.« Non exiguum vero Israëlitis inde oriundam fuisse molestiam, quod per duos annos continuos justis agrorum fructibus carerent, negandum non est. Accedit, quod Lev. 25, 20. timor penuriae septimo anno oriturae removetur, multo majoris autem illius difficultatis propter biennii ferias verenda mentio non fit. — Sed ad cogendos nos, ut undequinquagesimum annum jubilaeum esse putemus, haec non sufficient. Nam quum ex gravissimorum auctorum sententia Palaestinae fertilitas olim propter incolarum diligentiam quam maxima fuerit<sup>2)</sup>: cum tertium quoque annum proventus spontanei aliquid tulisse, tum ex sex annorum praecedentium mesibus Hebraeos colligere potuisse, quod non septimo solum, sed octavo etiam sufficeret, putandum est; nam ipsis Lev. 25. versibus 21. 22., quamquam de septimi tantum anni penuria sermo est, trium tamen annorum frumentum uno felici anno nasci posse contenditur. — Haec sunt, quae, ut legislatoris animo illa difficultas non ita magna esse videretur, effecisse putaverim. In usu vero multo minores etiam fuerunt illae angustiae, quum prorsus strenuam obedientiam illi legi factam esse, verisimile non sit.

Quae vero, ut quinquagesimum fuisse annum jubilaeum censemus, nos obstringant causae, hae sunt:

Primum ipsius loci Lev. 25, 8—11 interpretatio simplicissima ad hanc sententiam dicit apertissime. Numerantur primum (v. 8) ex septem annis sabbaticis plenae annorum hebdomades septem; quarum summa efficit annos undequinquaginta; tum incipiens est annus jubilaeus (v. 9.); quod ne quis ipso ultimo undequinquaginta illorum anno faciendum esse putet, additur statim (v. 10), quinquagesimum, i. e. eum annum, qui absolutos illos undequinquaginta sequatur, jubilaeum esse. — Sed qui ni-

1) Cf. PET. CUNAEI de republ. Hebr. dissert. in Critic. Sacr. Tom. V. p. III. pag. 382.

2) TAC. hist. V. 6. — PAULSEN, Ackerbau des Morgenlandes pag. 7. Cf. Deut. 8, 7—9. Exod. 3, 8.

miam difficultatem ex duorum annorum quiete oriri putaverunt, non sine aliqua veritatis specie locum nostrum ita interpretati sunt<sup>1)</sup>: numerum illum quinquaginta annorum ex antiquo more complecti simul terminum, a quo, et terminum, ad quem numeretur annus jubilaeus, ita ut ipse simul sit quinquagesimus praecedentis periodi et primus sequentis; quemadmodum nobis dicatur octiduum pro septem diebus, Hebraeis quinquagesimum quemque annum jubilaeum dictum esse, quamquam fuerit undequinquagesimus. Cui ratiocinationi assentirer fortasse, si nihil legeretur, nisi: »quinquagesimus annus vobis sit jubilaeus«; sed nimis caute instituitur ipsa computatio (v. 8—10); deinde vero, si ille numerandi mos erat Hebraeis, etiam sabbaticus annus octavus dici poterat, sed semper ille septimus nominatur<sup>2)</sup>.

Accedit alter locus Lev. 27, 16—18., cui indicium aliquod

1) Cf. PET. CUNAEI diss. l. c.

2) Multo minorem habet speciem ratio, qua (Freib. Z. S. H. I. pag. 22.) loco nostro Lev. 25. uadequinquagesimus annus ita ingeritur: septimo anni ecclesiastici undequinquagesimi mense incepisse jubilaeum et annum simul civilem quinquagesimum; annum ecclesiasticum undequinquagesimum fuisse sabbaticum, civilem vero quinquagesimum jubilaeum; ita illum annum ex parte dimidia simul quinquagesimum et undequinquagesimum fuisse. Quam contorta vixque toleranda sit ejusmodi computatio quamque artificiosa haec loci nostri interpretatio, apertum est. Sed concidit prorsus universa haec sententia, si, quod supra demonstravimus, in mente revocaverimus: annum sabbaticum eodem; quo jubilaeum, modo a mense Tisri incepisse. Illud ergo inter annum ecclesiasticum et civilem discrimen hac in re nihil efficere potest.

Neque magis probanda esse videtur sententia, quam protulerunt J. G. FRANK et GATTERER (in dissert. Götting. d. 18. Sept. 1787. praelecta): jubilaeum fuisse undequinquagesimum annum solarem, sed quinquagesimum dici ex computatione annorum lunarium. — Quomodo factum sit, ut, quum auctor Lev. 25, 2—9. semper de annis solaribus locutus esset, v. 10. subito lunarium numeratio induceretur, non intelligo. Deinde unquam Hebraeos hoc modo duplicum annum habuisse, non constat. Duodecim mensium lunarium annus simplicissimo modo cum solis cursu conciliabatur interjecto tum mense intercalari, ubi opus erat, ne festum paschale ex vere in hyemem retraheretur. Cf. GATTERER, Abriss d. Chronol. §. 188. IDELEB l. c. p. 488 sqq. Tum vero, quomodo IL anni solares efficiant L lunares, nescio, quum annus solaris undecim fere diebus major sit lunari. Cf. CARPOV. app. ant. p. 356. sq.

ad numerum anni jubilaei constituendum videtur inesse. Agrum certi cujusdam ambitus Deo sacratum si quis redimere cupit, constituitur (v. 16.) quinquaginta siclorum pretium; quod pretium (v. 17.) integrum pro agro solvendum est, si inde a jubilaeo anno sacrificatus fuerit, minuitur vero (v. 18.) ex numero annorum, qui post jubilaeum jam praetererint. Quo quinquaginta siclorum pretio indicari videtur, legislatorem de quinquaginta annorum periodo cogitasse, ita, ut simplicissima computatione cuique auno unus siclus tribuatur. Cui argumento si objeceras, inter quinquaginta annos illos quadraginta duo tantum esse, quibus agrorum usus domino concessus fuerit, hoc responderi potest, et minus accuratam legislatorem dedisse computationem, et eum tamen anno quietis fuisse agri domino usum, ut sequentis anni fertilitas major fuerit<sup>1)</sup>.

Alii Veteris Testamenti loci, quibus ad discernendam rem nostram aliquid efficiatur, non adsunt. Reliquorum vero scriptorum Judaicorum antiquissimi, PHILO et JOSEPHUS, apertissime annum jubilaeum quinquagesimum fuisse contendunt<sup>2)</sup>. Sed objici potest: si Josephi atque Philonis tempore annus jubilaeus non amplius celebratus sit, nihil valere eorum auctoritatem, sed utrumque ex nostro loco Lev. 25. hausisse eaque sola de causa annum quinquagesimum pro jubilaeo habuisse. Quamquam vero ita eorum auctoritas paullulum infringitur, hoc tamen elucet, etiam ex aliis, quam pentateuchi, fontibus illos hausisse; nam quae Josephus narrat de ratione subducenda inter agri emtorem atque venditorem de sumtu in agrum impenso, quum in pentateucho non legantur, aliunde petita esse oportet. Quam eandem rem indicare videtur Philo (p. 1187.). Unde, non defuisse JOSEPHO atque PHILONI accuratiorem rei notitiam et praeter Lev. 25. fontes alios, concludere licet.

Quare altera sententia, qua annus jubilaeus quinquagesimus fuisse perhibetur, gravioribus rationibus, quam quibus altera, commendari videtur<sup>3)</sup>.

1) Possumus etiam afferre majorem anni praecedentis fertilitatem Lev. 25, 21 promissam; sed non ita verbotenus hunc locum intelligendum esse, infra (§. 31.) videbimus.

2) Cf. PHILO περὶ γιλανθρωπίας pag. 704. περὶ ἐβδομῆς p. 1173. 1187. 1189. περὶ δέκα λογίων p. 767. JOSEPH ant. III. 12. 3.

3) Cf. CARPOV. I. c. pag. 451 sqq. — Pulcherrime IDELER (Handb. d. Chronolog. Iter Thl. p. 501—506. 508. 509.) simplici interpre-

§. 27. *Triplex remissio anno jubilaeo facienda*, ne indec  
miseris.

**Quinquagesimo**, igitur anno tubarum clangore inaugurate  
pronunciandum erat omnibus terraे Israëlitarum incolis (Lev. 25,  
10.), i. e. remissio iis, quibus opus erat. Quae remissio cujus-  
modi fuerit, additur altero ejus versus membro: redeat quisque  
vestrum ad possessionem et ad familiam suam. « **Duplex** ergo  
erat remissio: servorum, qui in dominorum familias transierant,  
in ipsorum familias, et agrorum (qui efficiebant firmam possessio-  
nem ἡταν, nam res mobiles in perpetuum vendebantur) in pristi-  
norum dominorum potestatem.

Qua ex interpretatione nostro loco de debitorum, quae ar-  
gento contracta erant, remissione sermonem non esse, apparet.  
Sed JOSEPHUS hoc tertium remissionis genus eidem anno adscri-  
bit<sup>1)</sup>. Quod jure quodam fieri videtur. Nam licet Lev. 25.  
debitorum remissio non strictis verbis imperetur, internus famen  
legis sensus eandem vim habet. Ilsa enim servorum agrorumque  
restitutio simul erat debitorum remissio. Nam quum et agrós  
vendere et servitutem subire solerent Israëlitae inopiac causa,  
agrorum et libertatis restitutio idem iis erat, ac si aere alieno  
solverentur. Quod vero Lev. 25. pecuniae mutuae remissio legi  
illi de anno jubilaeo non injungitur, ita videtur explicari posse:  
Legislator quum (Lev. 25, 36. 37. Exod. 22, 25.) foeneratorem  
fieri vetuisse, haud aliter putavit aes alienum datum iri popula-  
ribus suis, atque ita, ut pro accepta pecunia agros suos credito-  
ribus traderent, aut, non sufficientibus illis, se ipsos in servitu-  
tem addicerent. Quare, quum annum jubilaeum, rerum restau-  
rationem ferentem, institueret, non opus erat, de debitis remit-  
tendis aliquid constituere, quum lex de servis manumittendis  
agrisque reddendis sufficere videretur. Jure igitur atque ex ipsi-  
us legislatoris consilio postea legi illi addi poterat, ut etiam aere  
alieno solverentur debitores pauperes. Quod revera factum esse,  
ex illo Josephi loco concluditur.

tatione locos, qui de jubilaeo agunt, de solo quinquagesimo anno  
intelligi posse, demonstrat, et artificiosas illas computationes  
astronomicas et chronologicas, quas protulerunt GATTERER et JOH.  
G. FRANK, a Mosis consilio satis alienas esse, contendit.

1) Ant. III. 12. 3. Ιωβηλος, ἐν ᾧ οἵτε χρεῶσται τῶν δανεισθέντων  
καὶ οἱ δουλεύοντες ἀφίενται ἀποδίδωσι δὲ καὶ τοὺς ἀγρούς.

**S. 28.** *Dé debitorum remissione, quae Deut. 15, 1—11 septimo anno adscribitur.*

Major vero oritur difficultas, si alium contulerimus locum Deut. 15, 1—11, quo non quinquagesimo, sed septimo quoque anno ejusmodi debitorum remissionem faciendam fuisse indicari videtur. Quod cum nostro loco Lev. 25. conciliari non posse, appareat; nam licet Lev. 25. non jam indicari putaveris, debitorum remissionem ad annum jubilaeum pertinere, iniquissimum sane fuisse, si quis aere alieno ne usuris quidem datis jam sabbatico anno solitus esset, qui vero agros pro pecunia alii tradidisset, hos jubilao demum recepisset. Quare accuratius de loco isto quaerendum est, ut, quomodo se habeat ad Lev. 25., cognoscamus.

Deut. 15, 1. »Sub finem septem annorum facias remissionem; et (v. 2.) hoc quidem modo fiat remissio: remittat quisque creditor manum suam ab eo, quod mutuum dederit fratri suo, (i. e. ne exigat debita, sed cedat jure suo); ne exigendo premat popularem suum, ubi proclamatus fuerit annus remissionis<sup>1)</sup> in honorem Dei (i. e. tum exigendi jure in posterum abstineat).«

Quos versus nimis severam continere legem putantes, ita interpretati sunt plurimi<sup>2)</sup>; non remissionem faciendam fuisse, sed moram tantum concedendam anno sabbatico, ut eo anno exigere debita non licuerit, jure tamen suo creditoribus in posterum relicto. — Cui interpretationi primum obstat vox נָשָׁא a verbo נָשַׂא missum facere, mittere, a jure debitorum exigendorum abstiner; deinde nesciremus, cur tanta cum gravitate lex Israëlitis proponeretur, cuius nulla vis esset, nisi unius anni mora pauperibus debitoribus concedenda; e versu tum nono Deut. 15. apparet, creditores, ne anno sabbatico argentum prorsus perderent, timuisse, nam v. 10. omnino pro beneficio sine spe recuperandi donato pecunia mutua paullo ante annum sabbaticum data habe-

1) Ad communem totius terrae annum sabbaticum pertinere hanc debitorum remissionem, ex v. 9. apparet, et communis est verbi נָשָׁא usus et de quiete agris data et de debitis remissis, cf. Exod. 23, 11.

2) MICH. M. R. III. 157. 158. II. 73. — ROSEN M. schol. ad h. l. — DATHE pentateuch. illustrat. ad h. l. — DE WETTE Arch. §. 161. Cf. contra, die heil. Schrift übersetzt v. DE WETTE Iter Thl. p. 206., ubi vertitur: »Erlass.«

tur; accedunt LXX atque Philo, qui aperte de perfecta debitorum remissione locum nostrum interpretantur<sup>1)</sup>. Quos sequuntur Rabbini<sup>2)</sup>.

Simplicissimo vero modo lex de debitis anno septimo remittendis, nostris temporibus sane ineptissima, explicatur, si, qua ratione apud Hebraeos tum temporis pecunia mutua dari solita sit, spectaverimus. Quum neque mercaturam facerent, neque latifundia condere iis liceret: nemo sane argentum mutuo sumebat, nisi extrema paupertate coactus. Quare stipis instar dabatur<sup>3)</sup>. Deut. 15. igitur vi exigere ex pauperibus debita, ubi intercesserit annus sabbaticus, vetatur, ne ditioribus aeternum popularium suorum suppressorum jus relinquatur. Ex peregrinis contra, qui ad mercaturam faciendam argento utebantur, exigere debita, licebat (v. 3.). — Ad solos vero pauperes illam legem pertinuisse, qui solvere non possent, e versu quarto elucet: »remitas fratri tuo, יְמִינֶךָ<sup>4)</sup>, nisi forte pauper apud te non adest; nam tum lex illa omnino locum non habet<sup>5)</sup>. Quae vero sequuntur (כִּי־בְּרַךְ etc.), non putaverim, causam addere, cur pauperes adfuturi non sint; nam adfuturi esse pauperes dicuntur v. 11.; sed ad omnia, quae antecedunt, retulerim: «non deficient te vires ad exercendam ejusmodi erga pauperes misericordiam, nam satis divitiarum Dei gratia tibi dabit, modo serves ejus mandata. Unde iterum, hanc legem divitibus tantum dari, elucet.

Restat diversitas illa, quod Lev. 25. ejusmodi debitorum re-

1) LXX: ἀφῆσει πᾶν χρέος ἔδιον, οὐ δύσκεται σοι οὐ πλησίου σου. — Philo περὶ ἐβδομῆς, pag. 1173 τὰ δάνεια χαοῦσενθάται, pag. 1180 χρεωκόπια εἰσηγεῖται. — Diversitas tamen inter PHILONEM atque JOSEPHUM, quorum alter ad sabbaticum, alter ad jubilaeum annum hanc rem refert, utrumque non ex ipsius temporis usu rem novisse, probat; Philo magis ad locum Deut. 15 spectat, JOSEPHUS ad Lev. 25.

2) Cf. CARPOV. pag. 443.

3) Quod et loco nostro, Deut. 15., probatur et verbis, quibus Exod. 22, 25 usurae prohibentur; cf. Mich. M. R. III. §. 147. 156.

4) Cf. Num. 13, 28. Am. 9, 8. יְמִינֶךָ continet negationem particularem: negatur res, de qua sermo est, non in universum quidem, sed ea ex parte, in quam cadit conditio aliqua accedens. Cf. de hoc loco Mich. M. R. III. 157. ROSEN M. I. c.

5) Ita explicatur simul v. 11. Ne quis objiciat: »sed lex illa necessaria non est, nam speramus fore ut pauperes in terra felice non sint«, additur: »Semper tamen pauperes nonnulli aderunt.«

missio ad quinquagesimum, Deut. 15. ad septimum annum referatur; quae altera causa fuit, ut J. D. MICHAELIS et alii plurimi locum Deut. 15. de mora concedenda interpretari mallent. Nobis vero, diversos pentateuchi auctores esse, multoque recentiorem esse loci Deut. 15. ac Lev. 25. aetatem, putantibus, non ita magnas molestias affert illa diversitas. Quam vere adesse, sed ita explicari posse, duxerimus: Lev. 25. ita res constituuntur, ut qui aere alieno indigeant, vendito agro et corpore suo sibi comparent, quae opus sint; jubilao vero anno quisque in statum integrum restituatur. Ne vero quis propter minimam quamque pecuniae egestatem agro aut libertate in tot annos privetur, aut, anno jubilao forte non celebrato, prorsus deprimatur, Deuteronomii auctor divites admonet, ut pauperibus pecunia succurrant et jam anno sabbatico ejus exigendi jure abstineant<sup>1)</sup>. Qua lege neque laedi justitiam, neque pauperi cuique jus quoddam in aliorum divitias concedi, apparebit, si universi Deuteronomii ingenium spectaverimus. Non publica auctoritate sancitas continet leges, sed a propheta aliquo piis animis commendatas, non publicis civitatis poenis firmatas, sed religiosa quadam auctoritate, animos tantum, non corpora cogente. Quare eo facilius ejusmodi misericordiae mandatum proponitur, quo magis libero cujusque arbitrio relictum est, quatenus ei morem gerendum esse ducat.

**§. 29. Quinquagesimo anno eaedem, quae septimo, agrorum feriae erant.**

Pergendum nobis est in explicandis rebus, quae Lev. 25. ad annum jubilaeum referuntur.

Quinquagesimo hoc anno eadem, quae septimo, quies agris danda est (v. 11. 12.); quae describitur ita, uti vers. 4—7. **הַיּוֹם שְׁנִי תְּנִשֵּׁה:** frugibus sponte nascentibus vescendum est ex agro; i. e. non antea in horrea colligendae sunt, sed statim ex agris ad cibum adhibendae, quibus opus est singulis diebus. Cur etiam hoc anno feriae agrorum institutae sint, quaerenti responderi potest: **תְּנִשֵּׁה שְׁנִי** (v. 12.); religiosa fuit feriarum causa; annus ille, quo populi sacri restauratio atque redintegratio celebranda erat, magis etiam, quam septimus, Deo dedicatus fuit; quare vulgari terae usu abstinendum.

1) Ad minorem igitur pecuniam datam hoc pertinere videtur, pro maiore creditoribus debitorum agri et corpora concessa erant.

*§. 30. De agrorum vendendorum pretio.*

Itaque quum anno jubilaeo in suam quisque possessionem restitueretur (v. 13.), in agris emendis vendendisque regulae quedam observandae erant, ne alteri ab altero damnum afferretur, quum idem pretium agro esse non posset paucis, atque multis ante jubilaeum annis. Ne ejusmodi fraus fiat, lege prohibetur (v. 14.); pretium constituendum est ex numero annorum, qui post jubilaeum proximum praeterierunt, vel, id quod idem est, ex numero messium, quae usque ad jubilaeum futurum fieri possunt (v. 15.), ita ut majus statuendum sit pretium multis restantibus intra illum terminum annis, minus vero, ubi pauci tantum supersunt; unde efficitur, ut non ipse agri fundus veneat, sed proventus tantum illis annis inde percipiendus (v. 16.). — Fraus vero illa accidere poterat aut alterius imperitia numerum annorum non reputantis, aut alterius crudelitate pauperi egestate ad agrum vendendum coacto justum pretium recusantis; quare Dei auctoritate lex de justo pretio statuendo firmatur (v. 17.).

*§. 31. Fames anno sabbatico non timenda.*

Removetur deinde (v. 18—22.) difficultas, quam Israëlitae contra legem illam de quiete agris anno sabbatico atque jubilaeo danda movere poterant. Nam videbatur fore, ut inde inopia per terram oriretur, quum messibus integris illi anni carerent. Sed optimam viam ad vitam feliciter et sine angustiis degendam in omnium Dei mandatorum sedulo obsequio positam esse probatur (v. 18. 19.). Quare hanc quoque legem observantibus ne damnum accidat, Dei prospecturam esse providentiam. Solius quidem septimi anni mentio fit (v. 20.), sed ad quinquagesimum quoque id, quod pronunciatur, referendum esse, inde appareat, quod versus hi non statim post vers. 7. ponuntur, sed hoc demum loco, quum jam de jubilaeo anno sermo fuerit. Solarium vero (v. 21. 22.) assertur, quale timori non solum de unius anni, sed etiam de duorum quiete orto satisfaciat. Tantam enim Deus promittit sese agris prosperitatem daturum esse sexto anno, ut unus ille trium annorum fruges ferat, quae non solum usque ad octavi (id quod jam satis erat unius anni quiete agris facta) sed usque ad noni anni messem sufficientant.

Quod quomodo intelligendum sit, dubium non est. Miraculo

sesto quoque anno repetendo ad difficultatem illam removendam opus non erat, quum multo simplicius ex omnium sex annorum antecedentium abundantia septimi penuria tolli posset. Quare MICHAELIS<sup>1)</sup> v. 21. pro בָשָׂר הַשְׁבִּית legere maluit בָשָׂר הַשְׁבִּית; sed quum nulla codicum vel versionum auctoritate haec conjectura probetur, rejicienda est. Neque ea egemus; nam loci sensus etiam ita, uti legitur, idem est. Poëtica quasi loquendi formula esse putanda est vaticinii instar dicta: »Ne timeatis; Dei gratia terrae vestrae ubertas tanta est, ut unius anni proventus duorum vel trium necessitati satisfaciat.« Quorum verborum sensus non aliud est, quam: »ubi advenerit annus septimus, jam ex annis antecedentibus<sup>2)</sup> tantam habebitis copiam, ut vel usque ad nonum vobis satis sit.« Nihil docetur, nisi: eam esse terrae Palæstinae rationem, ut ad illam legem sabbaticam tolerandam satis superque idonea sit<sup>3).</sup> Neque Israëlitarum quemquam putaverim male intellexisse hunc locum, ita ut majore sexti anni fertilitate fretus quinque antecedentium abundantiam temere consumserit; sed quin ex omnibus sex illis sibi quisque in septimum copiam paraverit, dubitari non potest.

### §. 52. *De agrorum redimendorum jure.*

Anni jubilæi vis illa, qua, ne agri, in quibus posita erat omnis summa possessionis Israëlitarum, in aeternum priscis dominis eriperentur, prohibebatur, aucta est addita alia lege v. 23 — 28., qua venditori jus agri jam ante jubilæum redimendi concessum est.

1) Cf. MICH. M. R. II. §. 74.

2) Sextus itaque annus antecedentium omnium instar dictus est.

3) Aliter locus explicatur Freib. Zeitschrift Hft. 1. pag. 12.: Promisisse quidem Deum ejusmodi miraculum, sed quum ejus conditioni, omnium legum observationi (v. 18. 19.), non satisficeret, nunquam factum esse illud miraculum, sed copiam collegisse Israëlitas per sex illos annos. — Cui sententiae assentiri non possumus, quoniam Deo indignum esse videtur promittere aliquid bene sibi consciente talem se addidisse conditionem, ut, tenere quod promiserit, nunquam opus foret. Si verbotenus locum illum accipimus, etiam factum esse, interdum certe, miraculum illud statuendum est.

V. 23. causa affertur, cur agros in perpetuum <sup>1)</sup> vendere, Israëlitis non liceat. Deus enim, uti rex in civitate feudali, solus est totius terrae verus dominus, qui populo ejus usum precastio tantum jure concessit; quare nemini plenum in agros dominium obtingit, neque ideo suo arbitrio in perpetuum de illis aliquid constituere cuiquam licet, sed iis servandi sunt, quibus sorte divina traditi fuerunt.

Quare ultima tantum inopia vendendorum agrorum causa est; qua cessante causa, cessat venditio; redemtio ergo (רְדֵמָה) permitenda est (v. 24.) in quoque fundo vendito. Quod redimendi jus non ei solum est, qui vendidit, sed etiam ei, qui illius est רְדֵמָה sive redemtor. Quod nomen ab ipsa hac re originem dicit; nam qui alicui est proxime cognatus, ejus dicitur רְדֵמָה esse, quia ei solidi licet redimere, quod ille vendidit. Ei enim, qui illius heres est, convenit maxime curam gerere, ne heredum a Deo suae familiae datum damni quid patiatur. Ita redemptione illa nihil in rerum statu mutatur, nisi, ut רְדֵמָה ille paullo maturius hereditatem suam accipiat.

Quare si quis (v. 25.) prae egestate fundi sui partem venderit, accedere licet proximo ejus consanguineo atque redimere. Si vero cui ejusmodi redemtor non adest (v. 26.) (si aut consanguineum non habet aut ille neque vult neque potest redimere), ipse autem manu sua post aliquod tempus acquisiverit, quantum ad redendum sufficiat: subducat (v. 27.) annos post agrum venditum praeterlapsos, quorum fruges emtor jam percepit, et pretium annis reliquis conveniens restituat ei, cui vendidit (לְשָׁנָה) agrum; tumque redeat ipse in possessionem. Sin vero (v. 28.) vendor manu sua, quod ad restituendum emtori pretium sufficiat (בְּשִׂבְעַת, זֶה), sibi parare non potuerit, maneat ager in emtoris possessione usque ad annum jubilaeum; tum vero ager <sup>2)</sup> venditione liberetur et vendor in possessionem gratis redeat.

1) לְזִבְחָה J. D. MICHAELIS interpretatur (M. R. II. 73.) ex lingua Arábica, »in silentium i. e. ut aeternum silentium venditori imponeatur, ne unquam reposcat.« Rectius, quoniam simplicius, ROSEN-MÜLLER (Schol. ad h. l.) et GESENIUS (Lexic.) ex altera vi ejusdem verbi לְזִבְחָה, quae est »penitus perdere, confidere« vertunt: »in exterminationem, abolitionem, i. e. ut venditoris jus penitus perdatur.«

2) Verbi נָגַן subjectum esse agrum, apparet ex verss. 30. 41. 54. נָגַן de rebus et personis dicitur, quae ex alicujus possessione ex-

**§. 53. Minus est agrorum remissorum beneficium ex Josephi et Philonis descriptione.**

Summum ita in pauperes conferebatur beneficium, vel in ultima penuria iis relicta spe aliqua futurae fortunae melioris propter agros anno jubilaeo recuperandos. Apud JOSEPHUM vero et PHILO-NEM ejus legis additamentum invenimus, quod fere omnem ejus vim salutarem infringat.

Narrat JOSEPHUS<sup>1)</sup>: sumtus in agrum factos, nisi instituta computatione proventus aut par aut major iis fuerit, emtori restituendos fuisse, antequam venditor anno jubilaeo illum receperit; quod idem PHILO factum esse contendit, si ante jubilaeum quis redimere voluerit<sup>2)</sup>.

Quam facile vero ita omnis legis istius effectus eludi potuerit, apparet. Si quis agrum emtum reddere noluit, facile sane computatione artificiosa effecit: ut sumtus fructibus majores esse viderentur, aut consulto tot res in agro illo molitus est, ut re vera sumtus facti usum, quem inde percepit, superarent. Venditorem vero pauperem, qui tot annis possessione caruerit, anno jubilaeo sumtus illos emtori restituere plerumque non potuisse, verisimillimum est. Quare ita facillime in aeternum agris pauperes privabantur.

Ejusmodi vero legem a nostri loci consilio prorsus alienam esse neque ulla re ibi indicari, apertum est. Sed unde rem habuerunt PHILO atque JOSEPHUS? Falso locum nostrum intellexisse putandi non sunt; nam primum nescimus, quomodo hoc factum

eunt liberae. Cf. GESEN. Lex. et DE WETTE (die heil. Schrift übersetzt etc.). Falso DATHIUS emtorem verbi subjectum esse voluit.

- 1) Jos. ant. III. 12. 3. Ἐνστάντος τοῦ Ἰωβῆλου, συνέρχονται ὅ τε ἀποδόμενος τὸ χωρὸν καὶ ὁ πριάμενος, καὶ λογισάμενοι τὸν καρπὸν καὶ τὰς εἰς τὸ χωρὸν δαπάνας γερενημένας, τῶν μὲν καρπῶν πλεονάζειν εὐρεθέντων προσδέχεται τὸν ἄγρὸν ὁ ἀποδόμενος· τοῦ δὲ ἀναλώματος ὑπερβάλλοντος, ὑπὲρ τοῦ λείποντος καταλαβὼν τὸ ἐκνούμενον ἔξιστατο τῆς πτήσεως· ἵσων δὲ συναριθμούμενων τῶν τε καρπῶν καὶ τῶν ἀναλώματων ἀποδίδωσι τοῖς μὲν πρότερα νεμηθεῖσιν.
- 2) PHILO περὶ ἐβδόμης pag. 1187. Καὶ μὴ τῷ πριάμενῳ καθ' ὃν ἐδεῖτο κατέδην ὠφελῆσαντι, ζημίας αἵτιον γίνεσθαι, i. e. noluisse legislatorem, emtori, si justo tempore in agri utilitatem sumtus fecerit, inde (quod sumtus fecerit) damni causam oriri. — A venditore ergo emtori sumtus illi restituendi erant, ne emtor damnum pateretur.

esse potuerit, deinde vero consensus inter illos scriptores conspi-  
cuus efficit, ut aliud quid eorum sententiae inesse censeamus.  
Traditione aliqua usi esse videntur, quae Veterे Testamento non  
continetur. Lex illa de agris reddendis quum ditionibus, lati-  
fundia affectantibus, nimis molesta esse coepisset, additamentum  
illud invenisse videntur, quod difficultorem redderet ejusmodi pau-  
perum restitutionem; unde facile fieri potuit, ut res maxime sa-  
lutaris mox prorsus in oblivionem caderet.

### §. 34. *Aedium vendendarum ratio.*

Sequitur v. 29—34. lex de aedibus vendendis, quae eodem,  
quo lex illa agraria, data est, consilio. Aedes in oppidis moeni-  
bus cinctis sitae quum non tam ad firmam Israëlitarum possessio-  
nem pertinerent, quam agri, in quibus cujusque familie vita  
quasi posita erat, sed artibus magis atque commercio exercendis  
inservirent, aut statim intra anni fines redimendae erant, aut in  
perpetuum emtoribus addicebantur. Quod negotiorum civilium  
causa maxime opus erat, ut artifices periti ex altera in alteram  
urbem migrare possent, utque peregrinis, per quos commercium  
fieri solebat, in Palaestina suas sibi domos comparare liceret<sup>1)</sup>.

Domus contra (v. 31.) rure sitae neque moenibus cinctae,  
ad negotia urbana non idoneae, quarum nisi ad agri culturam  
usus nullus erat, ab agris separari non poterant, quibus adnu-  
merabantur. Quare eodem jure vendebantur; redemptio perpetua  
venditori ejusque consanguineo proximo permissa erat; anno jubi-  
laeo pristinis dominis restituebantur.

### §. 35. *De Levitarum domibus.*

Quae vero de Levitarum turbibus v. 32—34. leguntur,  
non injusto eorum partium studio constituta sunt, sed ex ipsa  
rerum natura. Nam quum agrorum partem Levitae non habe-  
rent, sed ex data ab ceteris Israëlitis decima frumenti parte  
victum ducerent, nulla iis firma fuit possessio, nisi domus in  
ipsorum turbibus; quibus in perpetuum privati patria prorsus care-  
bant. Quare idem eorum turbibus jus concedendum erat, ac ce-  
terorum agris: redemptio et anni jubilaei remissio.

---

1) Cf. PHIL. pag. 1187.

Itaque v. 32. domus dicuntur esse אֶחָדִים; nam pro agris domus solae datae illis sunt in firmam possessionem; fiat ergo redemptio אַלְמָם, i. e. non solum intra anni terminum uti in ceteris urbibus, sed quoque, quo venditori libet, tempore. Sin vero (v. 33.) Levitarum quis domum antea non solverit, jubilaeo certe anno cesseret venditio<sup>1)</sup>.

Idem, quod de domibus Levitarum, valet etiam de agris in pomoeriiis urbium eorum sitis, qui non ad sementes faciendas, sed ad greges tantum pascendos (מִגְרָשִׁים) iis tributi erant (Num. 35); hi quoque non vendendi sunt (לֹא יִמְכַר) i. e. non *plane*, non *in perpetuum* vendendi.

De ceterorum Israëlitarum pascuis sermo non fit, quoniam illa ab reliquis eorum agris diversa non erant.

### §. 36. *Legis, qua usurae prohibentur, arctus cum anni jubilaei instituto connexus.*

Pulcherrime v. 35—38 anni jubilaei descriptioni adjungitur lex, qua Israëlitae usuras a popularibus suis capere vetantur<sup>2)</sup>. Tam arctam enim habet ad illam de jubilaeo anno legem cognata-

1) Qui versus 33. ita, uti legitur in textu Hebraico, nullūm praebet sensum; quare cum LXX legendum est pro עֵיר: »domus urbis possessionis ejus«, i. e. domus sita in urbe, quae pro possessione ei data est. Deinde vero cum Vulgat. ante יְנַאֲלָה ponendum est נָלָה: »qui vero Levitarum (מִקְהָלִים) non redemerit, ejus venditio exeat, sive cesseret jubilaeo anno.« Quae lectio inde probari videtur, quod apertus est parallelismus inter v. 27. et v. 32 atque inter v. 28. et v. 33. »Uti agris fit redemptio (v. 27.), ita dominibus Levitarum (v. 32.); quae redemptio agri si non facta erit, exeat jubilaeo anno (v. 28.)«; unde concludi potest, v. 33. sequi oportere: »quae domorum redemptio si non facta erit, jubilaeo eae liberentur.«

2) Cf. Exod. 22, 25. — Deut. 23, 20. — Non alienam fuisse ejusmodi legem, quae ad sublevandos pauperes (v. 35.) data erat, ab Israëlitarum civitatis ratione, ex iis apparet, quae supra (§. 28.) monuimus de modo, quo pecunia mutua iis dari solita sit. Cf. MICHAELIS. M. R. III. §. 153. 154. 155. et ejusd. dissert. in syntagm. comm. Goetting. 1767 part. II. — Peregrinis, quibus alius pecuniae usus erat, in foenus ea dabatur Deut. 23, 21. — Duplex putaverunt nonnulli (cf. ROSENTHAL. schol. ad h. l.) duabus vocibus discerni usuarum genus, ita ut נָשָׁבֶת ad pecuniam, וְרַבִּית vero atque מְרַבִּית ad fruges mutuo datas pertineant; sed pugnat locus Deut. 23, 20. Quare synonymae esse voces illae videntur.

tionem, ut ex altera altera necessario fere sequi videatur.<sup>1)</sup> Nam si quis apud nos accepta pecunia agrum alteri tradit, fructus agri pro singulorum annorum usuris habendi sunt; quare ager non redditur, nisi exsoluto ipso pecuniae capite. Apud Israëlitas contra, data pauperi pro agro pecunia, cujusque anni fructus ipsi capiti aliquid detraxerunt, quoniam usurae non erant; ita ut necessario post certum annorum numerum caput exsolutum atque ager redendus fuerit. Qui annorum numerus lege constitutus est quinquagenarius, ad quem agrorum vendendorum pretium accomodandum erat. — Eodem modo res se habet, hominibus prae egestate in servitutem redactis.

Unde effectum est, ut, quum usurae Hebraeis prohiberentur, annus quoque jubilaeus aut institutum ei simile iis opus esset; neglecta vero lege altera, altera quoque in oblivionem caderet.

### *§. 37. De servis anno jubilaeo manumittendis.*

Sequitur v. 39—55. uberior explicatio effectus, qui anno jubilaeo in Hebraeos propter paupertatem in servitutem redactos tribuitur.

Non pro servis, qui in perpetuum facti sint domini possessio, Israëlitas habendos esse, qui se egestatis causa vendiderint, sed pro mercenariis potius in diem conductis aut pro inquilinis, quibus minus gravia imponantur negotia. Anno vero jubilaeo eos dimittendos esse (v. 41.), ut redeant in ipsorum familias et possessiones hereditarias, quae eodem anno reddantur.

Qui vero una dimittendi esse dicuntur ejusmodi servorum filii (quos pro utriusque sexus liberis dictos esse, apertum est), eos putaverim esse liberos, quos illi aut jam secum duxerint in servitutem, aut quos justo matrimonio ex uxore Hebraica servitii tempore genuerint; sin vero liberos ex data iis ab domino in contubernium serva aliqua peregrina procreaverint, hos domino relinquendos esse, loco Exod. 21, 4 probari videtur<sup>2)</sup>.

Eodem vero modo ancillas Hebraicas et ipsas anno jubilaeo dimittendas fuisse, quum per se probabile est (cf. Deut. 15, 12.), tum versu 44. extra dubium ponitur, ex quo, ex popularibus neque servos neque ancillas in perpetuum Hebraeos habuisse, concludimus.

---

1) Cf. Mich. M. R. II. §. 123.

Paupertatem frequentissimam servitutis causam fuisse, probatur Neh. 5. 5. 2. reg. 4. 1. Aliam vero JOSEPHUS (ant. III. 12. 3.) habet causam: si quis propter delictum aliquod in servitutem venditus fuerit (cf. Exod. 22, 2.). Quem anno jubilaeo dimissum esse, idem contendit; et jure quidem, ut videtur; quamquam noster locus eam rem constituere neglexit. Non enim verisimile est, propter unius delictum omnem ejus posteritatem aeternae servituti traditam esse; quare huic et ipsi legis beneficium concessum esse videtur, ut suam condere potuerit familiam.

Causa vero hujus legis similis affertur, ac qua agri in perpetuum vendi vetantur. Dei enim servi quum sint Israëlitae (v. 42. 43. 53.), quorum cuique Deus aequo beneficio prospexit: hominum servi perpetui fieri non debent. Quare (v. 44—46.) Israëlitis servi perpetui ex peregrinis emendi sunt, aut qui circa habitant, aut qui in ipsorum terram inquilinorum instar recepti sunt.

Multo vero minus (v. 47—55.) peregrinorum servitutem aeternam Israëlitarum cuiquam inire licebat; quoniam et populo sacro hoc indignum et major ab illis asperitas timenda erat. Quare si quis prae paupertate inquilino peregrino sese vendiderit (v. 47.), non solum anni jubilaei beneficium ei superest (v. 54.); sed adhortatur etiam legislator, ut jam antea consanguineorum proximorum aliquis eum liberet, aut ipse<sup>1)</sup>, si potuerit, sese redimat (v. 48. 49.). Cujus redemtionis pretium ex numero annorum, qui usque ad jubilaeum supersint, constituendum esse (v. 50—52.), consentaneum est<sup>2)</sup>. Praeterea vero Israëlitis imperatur (v. 53.), ne peregrino popularem in servitium redactum crudeliter tractare permittant, sed prospiciant, ut pro mercenario in certos annos conducto eo utatur.

### §. 38. *Alia lege (Exod. 21. Deut. 15.) servorum manumissio ad septimum servitutis annum refertur.*

Commode ita jus servitii Hebraici cum anni jubilaei instituto

1) Unde apparet, apud Hebreos quoque servis peculium acquirere licuisse. Quod fieri poterat e. c. hereditate, donis, laboribus in ipsorum commodum peractis.

2) Eandem redemtionem etiam fieri potuisse, si quis populari suo se vendiderit, ex analogia legis agrariae verisimile est. — Redemptus vero eodem, quo ager, modo in redemtoris potestatem transiisse videtur, nisi forte ejus clementia dimissus fuerit.

conunctum est. Sed alia adest lex, Exod. 21. et Deut. 15., qua non ad jubilaeum, sed ad septimum servitutis annum manumissio refertur. Quae primum per se spectata qualis sit, videbimus, deinde, quomodo cum nostro loco concilianda sit, quaeremus.

Exod. 21, 2—11, ita res disponitur: Servum Hebraicum <sup>1)</sup> si quis emerit, post sex servitii annos eum manumittendum esse (v. 2.) una cum uxore, si quam secum adduxerit, et (ut consenteantur est) cum liberis ex ea procreatis. Quam vero <sup>2)</sup> dominus ei dederit in contubernium, refinendam esse cum infantibus (v. 5.) inde natis (v. 3. 4.). Sin vero servus ille exire noluerit, impresso auribus coram judicibus <sup>3)</sup> aeternae servitutis signo <sup>4)</sup> perpetua <sup>5)</sup> servitute eum obstringendum esse (v. 5. 6.). — Ancillam vero Israëlitam non eodem, quo servum, modo post sex annos dimittendam esse, sed aut ab domino in matrimonium ducendam, aut ab propinquis redimendam, aut domini filio uxorem dandam (v. 7—9.). Si vero filius aliam simul uxorem duxerit, ancillam illam aut pro secunda uxore ei refinendam, aut sine redemptione manumittendam esse (v. 10. 11.). Peregrinis vero eam vendere, non licere (v. 8.).

Deut. 15, 12—18, quem locum vidimus multis saeculis post scriptum esse, eadem adest lex, mutatis <sup>6)</sup> tamen atque additis

1) עברִי non ad omnes Abrahami posteros referendum esse, sed ad solos Israëlitas, inde apparet, quod עברִי Deut. 15, 2 per vocem נָדִיר (popularis) explicatur, cf. Lev. 25, 39. MICH. M. R. II. 127.

2) Peregrinam scilicet; nam de ancillis Hebraicis, quae instituta erant, dari eas in contubernium, vetabant.

3) אֶל־הַלְּהִים, coram Deo, quoniam judicium ante Dei quasi oculos fieri putabatur, cuius nomine judges munere suo fungebantur. Non vero iudices ipsos אֶל־הַלְּהִים nominari, inde eluet, quod Deut. 19, 17. pro formula לְפָנֵי יְהוָה legitur אֶל־הַלְּהִים.

4) Aures perforatae apud alios quoque Orientis populos servitutis signo erant; cuius rei exempla cf. ap. ROSENmüLL. (schol. ad h. l.)

5) בָּלָק nonnulli de tempore usque ad proximum annum jubilaeum dictum esse perhibent; sed licet postea id ita constitutum sit, nostro loco jubilaei sane mentio non fit et בָּלָק nil est nisi: ejusmodi servum spe libertatis sese abdicasse.

6) MICHAELIS, cui Moses est universi pentateuchi auctor, diversitatem tamen, quae est inter Exod. 21. atque Deut. 15., temporum diversitate explicat, quod Deut. 15. quadraginta fere annis post

quae temporum processui et missori animo, quo conscriptus est Deuteronomii liber, convenirent. Primum aequum jus ancillis, atque servis, conceditur. Pariter manumittendae sunt (v. 12) <sup>1)</sup>. Deinde domini ad misericordiam exercendam monentur, ut manumissos donis nonnullis ornent, quorum ope suam condere domum iis liceat (v. 13—15). Affertur denique causa, qua aequum esse, servos dimitti septimo anno, probetur (v. 18): sex illis servitii annis prorsus extinctum esse emtionis pretium; nam duplum mercedis mercenariorum eos serviisse, i. e. tantum eos serviendo profecisse, quantum dignum sit duplice ea mercede, quam mercenarius sex annis accipere soleat. Servus enim totum per diem ad domini negotia praesto est, mercenarius vero per certam tantum diei partem <sup>2)</sup>.

### §. 59. Quomodo altera lex cum altera concilianda sit.

Restat difficultas, quod eadem res Exod. 21. et Deut. 15. ad septimum servitutis annum refertur, quae Lev. 25. jubilaeo tribuitur. Qua de re quaerentibus hoc primum constat: eam rationem, quae Exod. 21. traditur, propter summam hujus loci antiquitatem et quod eadem lex Deut. 15. atque Jer. 34, 14. repetitur, gravissima firmatam esse auctoritate. Quare hoc pro certo posito, *septimo* anno servos manumittendos fuisse, quaerendum est, quomodo fiat, ut Lev. 25. aliter res constitui videatur. Cujus difficultatis solvendae ratio, quae maximam veritatis speciem habet, PHILONIS est, quem sequuntur reliquorum, qui de ea re egerunt, plurimi <sup>3)</sup>: Manumissionem factam esse septimo servitutis anno; si vero annus jubilaeus ita in servitutis alicujus tempus inciderit, ut sex anni nondum absoluti fuerint, liberta-

Exod. 21. scriptum sit. (Cf. M. R. II. 127). — Quod recte ille sensit, nos, singulas ejus libri partes compluribus saeculis distare putantes, non injuria ad alias quoque res multoque ampliore modo adhibemus.

- 1) Eodem modo Lev. 25., cf. supra.
- 2) Quare breves anni comparantur annis mercenariorum Jes. 16, 14.
- 3) Cf. PHILO pag. 1189. — Mischna Naschim tract. Kiduschin. — MAIMONIDES tract. Schemitta Vejobel c. 10. — MICH. M. R. II. 127. — ROSENTHAL schol. ad Exod. 21, 2. — DE WETTE Arch. §. 160. etc.

tem tamen servo redditam esse<sup>1</sup>), quoniam eodem anno agros suos receperit, ut per annos dimittit. Cui sententiae, rem simplicissimō modo solventi, nos accedimus, ita quidem, ut postea, quum adesset utrāque legis forma, revera hoc modo rem constitutam esse, putemus, quum vix aliter fieri potuerit. Sed qui leges illas conscripserint, non ita sensisse, ex locorum illorum ratione apparere videtur; nam neque Exod. 21. ulla fit anni jubilaei mentio, neque Lev. 25., aliam faciendam fuisse anno septimo manumissionem, nullo verbou indicatur, sed potius (v. 50—52.) sola annorum usque ad jubilaeum numeratio adhibetur, quamquam eodem modo et multo quidem saepius anni, qui usque ad septimum supererant, numerandi erant. Quare hoc loco ad alterum illum, Exod. 21, neutiquam respici videtur.

Quae res aliter explicari non potest, nisi ita, ut, quo tempore Lev. 25. scriberetur, legem illam, ex qua septimo anno servi Hebraici dimittendi erant, neglectam fuisse putemus. Quare auctor loci Lev. 25., ne prorsus illo beneficio servi privarentur, ad annum jubilaeum id retulit. — Postea vero, quum Deuteronomii liber scriberetur, auctor legem priorem (Exod. 21.) repetere maluit, quam posteriorem illam (Lev. 25.), aut fortasse, quia tum temporis annus jubilaeus minus sedulo celebrabatur, aut potius, quia ipsius animo benevolo prior illa magis conveniebat.

Multo autem minus miros ejusmodi legum illarum diversitas nos habebit, si non quoque tempore aequo studio illas observatas, itaque omnem civitatis constituendae ordinem magnopere turbatum esse, in animum induxerimus.

#### §. 40. *De rebus Deo sacris.*

Una legi de anno jubilaeo latae data est exceptio: si quid Deo sacratum erat, anno illo non remittebatur. Quod jure aliquo factum est; nam quum, ne quis homo aut ager sempiterno aliis hominis dominio traderetur, causa ea esset, quod, quae Dei in omnes Israëlitas jura erant, obstabant: ipsi Deo quod dicatum erat, cur remitteretur, causa erat nulla.

Quare si qui homines Deo sacrae fuerint (Ley. 27, 2—8), ejus servitio per totam vitam obstricti sunt. Quod inde apparet,

1) PHILO l. c.: οὐ πρὸ μιᾶς ἡμέρας τύχη τις εἰς δούλειαν ὑπακοθέλει.

quod, si quis voto solvi cupit, redemptionis pretium non ab anno jubilaeo, sed ab unius cuiusque aetatis annis numeratur.

Agrorum vero Deo consecratorum duo genera fuisse videntur, quorum alteri anni jubilaei beneficium concessum; alteri ademtum erat. Ita enim locum illum difficilem Lev. 27, 16—21. explicantur: Aut (v. 16, 19.) solum agri proventum aliquis Deo dicens, ita, ut anno jubilaeo agrum reciperet; tum solvere eum licebat pro numero annorum, qui usque ad jubilaeum supererant, addita insuper quinta pretii parte (qui fuit mos omnibus votis solvendis). Aut vero ita (v. 20, 21) agrum dicare licebat (fortasse si quis legestatis causa aliter votis stare non poterat), ut (v. 20.) is, qui dicabat, fundum quidem (v. 20.) Deo traderet, proventum vero usque ad proximum annum jubilaeum inde perceptum alicui venderet; hoc vero commodo inde perceptio postea, quum venditio cessasset, in aeternum agri possessione abshtineret; ut inde ager pro **רַהֲבָה** habendus esset, quod devotionum genus solvere nefas erat.<sup>1)</sup>

Quae adjiciuntur v. 22—24. explicatione non egent; nam si quis agrum non suum, sed in certum tempus emtum, Deo dedicaverit, eum anno jubilaeo prisco domino reddendum fuisse, consentaneum est.

#### §. 41. De criminis majestatis reorum agris.

Alia vero videtur facta esse legis exceptio minus legitima, de qua in pentateucho nihil legitur, sed quae postea usu venit.

1) Quae sententia pendet ex versu 20. interpretatione; verbi enim subjectum idem esse putaverim, quod antecedentis **לִי**, eum, qui dicavit agrum. Alii subjectum putant aut sacerdotem esse, cui traditus sit ager, aut potius incertum aliquod (»man«); unde is efficitur sensus: »si quis non statim redemerit et sacerdotes jam alii homini vendiderint agrum, jure suo ille privetur.« — Sed primum multo facilius alterum illud subjectum verbo **לְבָרֶךְ** tribuitur; deinde nescimus, qua de causa tantum effectum habuerit, si quis agrum sacratum non statim redemerit, sacerdotes vero celeriter eum usque ad annum jubilaeum alii vendiderint; praesertim quum in ceteris omnibus votis factis nemo cogatur, ut pecunia iis se exsolvat, sed libero arbitrio hoc relinquatur. PHILO quoque duplex illud agrorum vovendorum genus videtur significare, quum dicat pag. 1187.: non redditos esse agros **ἀνερωθέντας ἐν τῇ τάξει τῶν ἀναθεμάτων**. Qui ergo non **ἀναθεμάτων** (**רַהֲבָה**) instar voti erant, reddendi fuere.

Reges enim, ut divitias sibi acquirerent, agros eorum, qui criminis in rem publicam commissi damnati erant, in perpetuum sibi addixisse aut aliis tradidisse, verisimile est<sup>1)</sup>. Locis, ex quibus hoc colligi potest, sunt: 1. Sam. 8, 14. 2. Sam. 16, 4. 1. reg. 24, 15. Sed quum magni inde orientur abusus, prophetae hunc morem vituperant, cf. Ezech. 45, 8. 9. 46, 18.

#### **§. 42. Qua de causa Num. 36, 4. anni jubilaei mentio fiat.**

Superest locus Num. 36, 4., ex quo vim quandam anno jubilaeo fuisse concludi potest, de qua Lev. 25. non agitur quidem, sed quae ad institutum illud optime convenit<sup>2)</sup>. Quae loco illo narrantur, haec sunt:

Quum Num. 27, 8. constitutum esset, ut, si quis filii non relictis mortuus esset, filiabus ejus agri dividerentur, timor ortus est nonnullis Israëlitis (Num. 36, 1), ne, si forte filiae illae viris alii, quam ipsarum, tribui adscriptis nuberent, agri illi cum dote ad alienam tribum in prioris incommodum transferrentur. Quamobrem (v. 6.), ne cui alienae tribus viro nuberent filiae heredes, lege sancitum est.

Qua data occasione ita v. 4. locuti sunt Israëlitae: Ubi venerit annus jubilaeus augebitur tribus illa, in quam filiae heredes nuperint, minuetur autem tribus earum paterna.

Sed qua de causa anno jubilaeo demum hoc fieri dicatur, quaeritur, quum statim ubi filiae nuperint, agri earum maritis tradendi fuerint. — Res ita explicanda est: Statim quidem agri in aliam tribum transibant; sed jubilaeo demum anno hoc conspicuum erat et in posterum publice constituebatur, ita ut tum primum fieri videretur.

Qua ex re concludere licet: anno jubilaeo hoc tributum fuisse, ut eo anno omnes ejusmodi res publice in ordinem redigentur, quidquid intra priores quinquaginta annos vel morte vel matrimonio vel aliis de causis in rebus civilibus vel domesticis mutatum esset, ad liquidum perduceretur, novusque rerum status inciperet. Quibus rebus inserviisse videntur tabulae publicae, quibus cujusque civis et nomen et familia et agri inscripta erant. Quibus quam maxime opus erat, quum sumnum Israëlitae in il-

1) Cf. Mich. M. R. II. §. 73. I. §. 59.

2) Cf. Mich. M. R. II. 73. Freib. Z. S. 1. pag. 37.

lis rebus ponerent momentum. Illud ergo anni jubilaci institutum erat utilissimum, ut tabulae publicae renovarentur, atque quae novo ordine egarent, justo modo constituerentur, ita ut novam aetatem respublica inde inciperet.

## CAPUT VI.

### **Legum de anno septimo et jubilaeo latarum vis atque consilium, spectata universa Hebraeorum rei publicae conditione.**

#### **§. 43. *Triplex legum illarum vis est.***

Expositis singulis institutis, quae ad annum septimum et jubilaeum referuntur, quaerendum jam nobis est, quem illarum cum universa reipublicae Hebraicae forma atque conditione connexum habuerint; unde, quo consilio leges illae latae sint, et, quam vim in rem civilem, domesticam atque ethicam exercuerint, intelligamus.

Qua in re disquirenda majoris perspicuitatis causa triplici modo institutorum illorum vim spectabimus: primum religiosam, deinde oeconomicam, tum politicam; quamquam res ipsae in civitate illa tam arcte conjunctae erant, ut vix ita dividi possent.

#### **§. 44. 1. *Vis institutorum illorum religiosa.***

Universa Hebraeorum, quibus non injuria populi sacri non men inditur, respublica quum in Jehovae cultu fundamentum habuerit, ita ut omnia ejus instituta et a Deo condita et in Dei honorem administrata esse putarentur: eam anni jubilaei septimique vim, quae ad Dei cultum spectat, primariam esse atque primam legum illarum ferendarum causam praebuisse, facile concedetur, praesertim quum legum scriptor iterum iterumque idem perhibeat<sup>1)</sup>.

1) Cf. Lev. 25, 2. 4. 12.

Omnē vero rei momentum referendum est ad sabbati institutum, quod non solum per dies, sed etiam per hebdomades<sup>1)</sup>, menses<sup>2)</sup>, annos et annorum hebdomades valuit<sup>3)</sup>.

Quod institutum Israëlitis solis fuisse atque a Mōse primum conditum esse, inter doctorum virorum, qui recentioribus temporibus ea de re egerunt, plurimos convenit<sup>4)</sup>. Nam quamquam Chaldaei et Aegyptii jam ante Mōsem temporis divisionem per septem dierum cyclos instituisse putantur<sup>5)</sup>, Moses tamen primus septimum quemque diem Deo sacratum quieti dedit. Nam neque apud ullum alium antiquitatis populum ille mos reperitur, neque in Israëlitarum patriarcharum historia ejus vestigia adsunt<sup>6)</sup>.

Quare sabbati ritus una cum circumcitione Israëlitis signo praecipuo erat, quo ab ceteris populis discernerentur. Quae separatio quum, ne a veri Dei cultu recederent, quam maxime esset necessaria, summa sabbato tributa est gravitas, quae probatur innumeris Veteris Testamenti locis, quibus ad illud servandum poenis atque praemiis propositis maximis populus admoneatur<sup>7)</sup>. Quae gravitas a dierum sabbato ad annorum quoque sabbatum transfertur, neque minus ad annum jubilaeum, qui septem annorum hebdomades in rotundam quasi summam concludens cylclum sabbaticum consummat. Quare Lev. 26, 34. 35. ante omnia violati anni sabbatici poenae exornantur.

#### S. 45. Pergitur.

Quaenam vero fuerit sabbati significatio, quae tantam ei tribuerit gravitatem, quaerentibus multi Veteris Testimenti loci praeterea

1) Huc pertinet pentecostes festum, quod vocatur festum hebdomadum (sc. septem).

2) Septimo novilunio sabbatum erat (festum clangoris).

3) Cf. PHILO *περὶ ἑβδομῆς* pag. 1183.

4) Cf. DE WETTE Arch. §. 214.

5) Cf. GATTERER, Abr. d. Chron. §. 231. IDELER, I. c. I. pag. 178.

6) MICHAELIS (M. R. IV. §. 195.) propter locum Gen. 2, 1—3. jam ante Mōsem sabbatum celebratum esse censem. Sed locus ille ad firmandum institutum Mosaicum postea conscriptus est, egregie monens, non facto Deo, sed ei, qui mundum considerit, sabbatum celebri; cf. Exod. 20, 11.

7) e. c. Ezech. 20, 16. 21. 24. quum de legibus divinis agatur, singularum nulla nominatur, nisi sabbati lex, quasi haec omnem reliquarum summam contineat.

sto sunt, quorum unum instar omnium afferre liceat, Ezech. 20, 12., qui apertissime rem declarat: »Etiam sabbata mea iis dedi, ut signo essent inter me atque illos (ut monerentur, ne sibi solis, sed mihi viverent), ut intelligerent, me ipsorum Deum esse sanctos ipsos esse jubentem. — Ea ergo sabbatorum vis est, ut homines Dei immemores sint, ne sibi solis studeant, ut temporis partem Deo sacrent, qua sui ipsorum oblitii negotiis ad victum comparandum necessariis, quae animos in terram deprimunt, abstineant, ad res altiores vero cum sacra quadam laetitia mentes erigant. Quare sabbata fuerunt interni ac spiritualis Dei cultus initia, et Israëlitae, non certis tantum (uti reliquorum populorum nonnulli) anni temporibus, sed per totum pariter annum has ferias celebrantes, totos sese Deo se dicare, confessi sunt<sup>1)</sup>.

Quae feriae saecae non hominibus solum, sed etiam animalibus omnibusque hominum rebus vel inanimis dandae erant. Quare agrorum causa annus sabbaticus instituendus fuit. Qui sacrificii instar fuisse putari potest, agrorum usu Deo oblate, quod signum esset, non hominum, sed Dei agros esse<sup>2)</sup>, neque temere ideo, sed cum pietate quadam et abstinentia iis utendum esse<sup>3)</sup>. Sponte nascens vero agri proventus, quoniam non singulorum hominum, sed Dei erat, cuique concessus est, qui forte incidit, et pauperibus imprimis, qui particulari quodam modo in Dei tutela esse habentur<sup>4)</sup>. — A vulgaribus ergo negotiis va-

1) Ex necessitate quadam naturali multi sabbatum deducere maluere, quam ex officio religioso. Cf. MICH. M. R. §. 195. Natura sua, dicunt, egere homines laboris et quietis vicissitudine. Quod quamvis verum sit, nondum tamen inde oriri sabbati institutum, inde apparent, quod et pagani illud ignorant, et ipsi Judaei tam facile ad violandum id seducti sunt, quoties Dei immemores fuere.

2) Cf. GOODWIN apud CARPOV. pag. 80.

3) Egregie PHILO (pag. 1183 et περὶ δέκα λογών pag. 767), ut homines lucri studio interdum abstinere, atque cum pia quadam clementia rerum usum capere discant, anni sabbatici instituto effici demonstrat. — Eundem spirant animum aliae leges, e. c. Dent. 22, 6. 7. 9. Exod. 23, 19.

4) Sed secundariam tantum hanc anni sabbatici utilitatem fuisse, nec pauperum solatium (quibus aliae innumerae prospiciebant leges) primam fuisse legis ferendae causam, inde apparent, quod neque solis pauperibus proventus sponte nascens addicebatur, neque, quum eodem anno omnes simul agri quiescerent, beneficium, per sex annos cessans, septimo pauperes subito magnopere sublevabat.

cantibus ad contemplandas res divinas plus otii datum est<sup>1</sup>); quare legum studio hoc anno opera navanda fuit, cf. Deut. 31, 10 sq.

Quod vero de anno sabbatico dictum est, idem ad jubilaeum pertinet, et majore quidem modo, quoniam septem annorum hebdomadum cyclum claudens id sabbatorum quasi sabbatum fuit, omnium igitur maximum. Augebatur enim prae ceteris annis sabbaticis jubilaei solemnitas ea maxime re, quod propter servorum agrorum, debitorum remissionem summa illo tempore per totam terram erat laetitia, in qua, quoniam ad gratias Deo agendas animos erigit, haud parvum inest momentum religiosum.

Neque injuria etiam memorialis quaedam vis anno jubilaeo injuncta fuisse putatur, ita ut quemadmodum dierum sabbatum creati a Deo mundi memoriam revocavit, hoc festum memoriae Palaestinae Dei ope occupatae dicatum fuerit. Ad quam sententiam sustentandam afferri potest et quod quinquagesimus annus pro undequinquagesimo constitutus est, et quod Lev. 25, 2. Palaestinae occupatae memoria significari videtur. Sed ne nimium hac in re momentum ponamus, supra (§. 22.) monuimus<sup>2</sup>).

### §. 46. 2. Vis institutorum illorum oeconomica.

Quam exercuit vim in rem domesticam atque agrariam lex illa septimi et quinquagesimi anni quietem poscens, multo mino-

1) Qua re aliqua ex parte minuitur, qua MICHAELIS (§. 75.) cruciatur cura, quomodo desidiae illa lege auctae occurrentum fuerit. Quamquam gravius inde damnum timendum fuisse, modo secundum ipsam legem Israëlitae Deo illud otium sacrum habuerint, vix putaverim. Cf Freib. Z. S. 1. pag. 14.

2) Annexitur hic nonnullorum sententia: ex annis jubilaeis Judaeos temporum descriptionem instituisse (cf. GATTERER, über Jubelfeste Gött. Sept. 1787.). Sed nulla omnino ejus rei supersunt indicia; judicium et regum nominibus Judaei tempus describebant, postea vero aera Seleucidarum utebantur. Alios temporis numerandi modos minus usitatos cf. ap. GATTERER, Abr. d. Chron. §. 193. IDELER l. c. 507. 529.; ex annis jubilaeis vero nunquam tempus describitur. — Cujus rei causa fuisse videtur et quod minus justo ordine annus jubilaeus celebrabatur, et quod ejusmodi abstracta (ut ita dicam) temporum numeratio antiquis populis non convenit, qui ex concretis nominibus tempus constituere maluerunt. Ita regum annos alii numerarunt, Romani consules; ipsis Graecis Olympiadum computatio ex victorum nominibus memoriae traditis orta esse videtur.

ris est momenti, ita ut inde ferendae legis causa, quum sufficiat causa religiosa, petenda non sit; sed adjumentum tantum hoc fuit, quo obedientia illi legi servanda facilior reddita est. Augetur enim agrorum fertilitas quiete certis annis iis concessa, ne soli vires perpetuo usu exhaustantur. Quam rem terrae Palaestinensi utilissimam fuisse, ita ut octavo anno duplex fere proveniens exspectandus fuerit, docet PHILO<sup>1)</sup>. — Ita aliqua ex parte quies laetaminis loco agris fuit; ad quod accedit, quod pecori illis annis aditus in agros patuit<sup>2)</sup>. — Unde, ne nimis instituto illo Israëlitae premerentur, effectum est.

Aliam J. D. MICHAELIS de consilio, quo lex illa de agrorum quiete lata sit, protulit sententiam<sup>3)</sup>: Ne propter unius anni fructuum calamitatem subito fames oriaretur, frumento in horreis condendo opus fuisse. Quare Mosem legem illam de anno sabbatico tulisse, qua non directo quidem modo annorum fertilium abundantiae parcere Israëlitas juberet (nam quod imperatum sit, eo lubentius negligere solere homines), sed, ut quisque sibi colligeret aliquam frumenti copiam, callide efficeret. Nam quum, septimum annum proventu carere, cuique notum esset, prioribus sex quod superesset, eos collegisse et plus etiam, quam quod anno septimo opus esset, lucri spe ductos, quia major anno septimo exspectanda fuerit annonae caritas. Unde effectum esse, ut semper aliqua frumenti copia adasset et frugum inopia nunquam oriretur.

Quam sententiam, excitata Israëlitarum lucri spe Mosem ita ad consilia sua assequenda usum esse, nos prorsus rejicere, necesse est<sup>4)</sup>; nam directe pugnat contra legis consilium illud reli-

1) Cf. PHILO *περὶ ἔβδομης* p. II85. et fragm. apud MANGEY II. p. 63I.

2) Cf. Freib. Z. S. I. pag. 9. ROSENMR. schol. ad Lev. 25, 7. Sed ea de causa quiete illa opus fuisse, quod agrorum laetificandorum usus Hebraeis ignotus fuerit, vix putaverim. Nam licet stercorationem antiquissimis temporibus non noverint (cf. contra Luc. 13, 8.), aliis tamen laetaminum generibus (aqua potissimum) eos usos esse oportet, ut, quomodo terra illa hodie sterilis olim fertilissima esse potuerit (cf. DE WETTE Arch. §. 94.), explicetur.

3) Cf. MICH. comment. de anno sabbatico in commentatt. soc. reg. scient. Goet. oblat. per annos 1758—62. — Mos. R. II. 74. — ROSENMR. I. c. — Freib. Z. S. p. 11.

4) Collegisse frumentum sex annis Israëlitas, ne septimo carerent eo, per se patet; sed consilium illud legis ferendae fuisse, inde non sequitur.

giosum, quod in eo positum erat, ut a rerum terrestrium lucrative studio hominum animi averterentur. Deinde vero res ipsa ita se habere non potest. Nam nimis mirum sane est, eum, qui frumenti inopiae prospicere voluerit, imperare, ut agri inculti jaecant. Ponamus, sexto anno incidisse illam frugum calamitatem: tum sane jam hoc anno frumenti copia, propter septimi quietem collecta, consumenda erat et septimo fames aderat. Fami si prospicere Moses voluit, nescio, cur non imperaverit, ut agrorum fructus caperent Israëlitae, quantos quoque anno possent, horrea aedificarent, copiam ibi conderent<sup>1)</sup>.

Nec magis probanda est sententia, qua ad conservandas feras, quas agris pellere anno sabbatico non licuerit, lex illa spectasse perhibetur<sup>2)</sup>. Pellere feras revera non licuit, quoniam Dei, non hominum erat ejus anni proventus; sed earum conservatio legis consilium neutiquam fuit, quoniam terrae ad agrorum culturam destinatae nil nisi damnum inde oritur.

### §. 47. 5. Vis institutorum illorum politica.

Summi vero momenti vis est, quam instituta illa, agrorum, servorum, debitorum remissiones, in re civili reipublicaeque constitutae forma habuerunt. Ad quam accuratius perspiciendam, ut, qualem Moses condere in animo habuerit rempublicam, reputemus, opus est.

Mosi ex Aegyptiorum servitute, qua aequa omnes pressi erant, populares suos liberanti plenior, quam ulli unquam alii legum latori, data erat potestas reipublicae prorsus novae ex altioribus quibusdam cogitationibus religiosis atque moralibus constitutae. Quarum summa erat theocratiae, quae dicitur, notio; quam comparatione aliqua explicare nobis liceat, ut plenissimam

1) In universum quam maxime improbanda est sententia, qua in legibus ferendis ista astutia et pia quasi fraude Moses usus esse putatur, ut aliam rem vellet, aliam imperaret et insciuim ita populum obstinatum regeret. Nam et indignum hoc est viro cum divina quadam auctoritate leges promulgante et inutile. Leges enim in multa saecula datae, nisi in summa consilii sinceritate et integritate fundamentum habuerint, temporis progressu sine dubio irritae redunduntur. Nam si quando fraudem homines intellexerint, statim omnis ejus utilitas tollitur. — Male ita J. D. MICHAELIS libro illo Mosis merita celebrare studuit.

2) Cf. MICHAEL., ROSEN. M., Freib. Z. S. II. cc.

eam atque perfectissimam systematis, quod dicitur, feudalis imaginem fuisse dicamus. Unus erat totius terrae omniumque rerum, quae in ea erant, dominus<sup>1)</sup>, a quo, quidquid quisque possidebat, beneficii instar habebat, ut pleno dominio suoque nomine nemo quidquam teneret. Unus vero ille dominus quum Deus esset, inter se cives omnes pares erant, quum nemo a natura altero proprius ad Deum accederet omnesque hominum inter se diversitates coram infinita Dei magnitudine nullius essent momenti. Quia de causa theocracia simul erat perfectissima democracia, quae dicitur, in qua nulla erat singulorum potestas, nisi quae a Deo se datam esse probaret<sup>2)</sup>.

Quam reipublicae formam nulla vitae ratione magis confirmari atque conservari, ratus, quam agrorum cultura, quae homines alit quamquam fortes non feroce tamen, a peregrinorum commercio mores corrumpente eos abstrahit et singulorum prae ceteris nimiam opulentiam prohibet, Moses multis legibus cavit, ut in agris tota consistenter Hebraeorum respublica<sup>3)</sup>, et suum cuique agrum esse voluit, quo nunquam privaretur<sup>4)</sup>. Unde effectum est, ut maximus honor agriculturae tribueretur atque intimo amore quisque agrum suum amplectetur, tanquam ipsa vita in eo posita esset<sup>5)</sup>.

Cum agrorum igitur distributione populi ipsius divisio conjuncta erat, firma cuique genti et familiae data sedes, tabulis publicis eujusque familia atque possessio inscripta, ne, quisquis

1) Cf. Lev. 25, 23. 55.

2) Quae civium omnium aequalitas neque seniorum, qui singulis tribubus praeyerant, potestate neque Levitarum privilegiis turbata est. Nam priorum illorum potestas tantopere ex ipsa rerum natura constituta erat, ut ad Deum facilime referretur. Levitis vero nulla data erant jura praecipua, nisi quae ipsorum cultus divini administrandi officio poscerentur. Agris quum carerent, decima frugum pars iis danda erat. Quae poena magis, quam beneficium esse, primis temporibus putabatur, (cf. Gen. 49, 7.). Hierarchia postea inde orta estabus, non Mosis consilio. (DE WETTE Arch. 149.) cf. MICH. M. B. I. §. 42. 44.

3) Cf. JOSEPH. c. Ap. I. ημεῖς οὐτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὐτε ἐμπορίας χαίρομεν, οὐτε τοῖς διὰ τοντῶν πόδες ἄλλους ἐπιμεῖταις ἀλλ' εἰσὶν μὲν ημῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀναπισμέναι χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι τούτην ἐπικονοῦμεν.

4) Cf. MICH. M. R. I. §. 38—41. DE WETTE §. 89—93.

5) Cf. I. Sam. II, 5. I. reg. 19, 19. I. reg. 21, 1—16.

sacro civis Israëlitici jure gauderet, ejus nomen unquam extingueretur <sup>1)</sup>, quum Dei servitio aequo quisque sacratus esset.

### §. 48. *Pergitur.*

Ad quam reipublicae constituenda formam instituta illa, quae complectitur annus jubilaeus <sup>2)</sup>, tam egregie quadrant, ut maxima ex parte in ipsis illa posita esse videatur.

Ad conservandam civium Israëliticorum aequalitatem vis institutorum illorum erat maxima <sup>3)</sup>. — Si quis divitiis excellere ceteris cupiebat, quoniam propter usuras prohibitas commercium que interclusum pecuniae nullus usus erat, latifundiis comparandis ei studendum erat <sup>4)</sup>; sed ne hoc modo civium aequalitas laederetur, lex erat anni jubilaei, quae, agros in perpetuum emi vendique, vetabat <sup>5)</sup>. Quare altera illa lex, qua, qui pecunia abundant, pauperibus eam mutuo dare et septimo aut quinquagesimo anno debitorum remissionem pati jubentur, multo minores habet difficultates, quum nullus fere fuerit pecuniae usus. Ergo ne quis in extremam incideret paupertatem <sup>6)</sup>, optime ita cautum erat. Mendicandi ideo mos antiquissimis Hebraeorum temporibus ignotus fuisse videtur.

Quam vero Moses voluit esse civium aequalitatem, laedebatur maxime servitutis more, quem antiquitus traditum prorsus tollere, legislator non potuit <sup>7)</sup>. Quare ut leniorem eum redderet Israëli-

- 1) Quo pertinent e. c. matrimonium, quod dicitur leviratus, jus hereditarium (DE WETTE §. 154. MICH. 78), alia.
- 2) Anni sabbatici debitorum remissio (Deut. 15.) et septimi servorum manumissio (Exod. 21.) comprehenduntur jubilaei instituto.
- 3) Cf. MICH. M. R. II. 73. Freib. Z. S. I. p. 24—26.
- 4) Aliud quidem supererat divitiarum genus in gregum magnitudine positum (cf. 1. Sam. 25, 2. 2. Sam. 17, 27—29.); sed paucis tantum, in terrae finibus maxime habitantibus, hoc vitae genus relictum erat; cf. DE WETTE Arch. §. 89. 90.
- 5) Quaeri potest, num dono dando aut commutando agros ab altero ad alterum in perpetuum transire, licuerit. Quod, quamquam nihil ea de re constitutum est, ex totius legis consilio videtur negandum esse. Cf. 1. reg. 21, 2. 3. 6. Ezech. 46, 17.
- 6) Nulli unquam populo tam pulchrae fuerunt leges in pauperum commodum datae, quam Israëlitis, quoniam nihil magis contra Mosaicam reipublicae formam pugnabat, quam nimia paucorum egestas. Cf. DE WETTE Arch. §. 163.
- 7) Cf. DE WETTE §. 159.

tis propter paupertatem venditis, civiumque jura sacrata iis servaret, Moses illa lege effecit, qua, ut post certos servitutis annos dimitterentur, constitutum erat. Qui ergo servi re vera essent, e peregrinis petendi erant; Israëlitae mercenariorum tantum loco habebantur et libertati familiisque suis denique reddebantur<sup>1).</sup>

Quam vero inde in civium animos redundare oportuerit vim salutarem, facile intelligitur. Nullius animus aeternae servitutis aut infimae paupertatis timore deprimebatur. Quinquagesimo quoque anno universus populus regenerabatur, recentibusque viribus novam quisque vitam incipiebat. Sordida, quae nasci solent ex infima egestate, vicia prohibebantur; tumultus civici inde oriri non poterant. Patriae amor maxime augebatur, quum cuique firma in ea sedes esset. Prisca virtus non subvertebatur rerum novarum studio, quum suum quisque agrum coleret; ad diligentiam adhortatio aderat maxima, quum agros, in quos opera impensa esset, nunquam familiae suae ademtum iri, cuique constaret. Vitam tranquillam atque placidam degere, omnibus licebat<sup>2).</sup>

## CAPUT VII.

### Num anni jubilaei instituta a Mose condita sint.

#### §. 49. *In universum non aliena illa erant a Mosis consilio.*

Descripta ita institutorum illorum ratione spectatoque eorum cum universa civitatis Mosaicae conditione connexu, via patet ad

1) Quae lex quanta gravitate fuerit, demonstratur poenarum gravitate, quas, quum eam violassent, Jeremias Judaeis minatus est, Jer. 34.

2) Etiam augendo incolarum numero annum jubilaeum prospexit, quoniam, quum cuique ager esset, matrimonium cuique inire licuerit, haud injuria J. D. MICHAELIS disputat, quamquam non ita magnum hac in re posuerim momentum. — Quomodo vero Freib. Z. S. I. p. 34. prorsus contrarium dicatur: non fuisse cuique

discernendam secundum regulas supra (§. 44. cf. §. 45.) propo-  
sitas quaestionem, num ad Mosem instituta illa referenda sint,  
nec ne.

Primum ad consilium ac rationem, quam Moses in condenda  
republica secutus est, illa egregie conformata esse ideoque pro-  
sus ex illius voluntate fuisse, satis patet, quum, praecipuum de-  
mocratiae, quae conjuncta erat cum theocratia, praesidium in iis  
positum fuisse, modo demonstraverimus.

Sed nondum illis institutis opus fuisse Mosis tempore, objici  
potest, quum firmas sedes Israëlitæ nondum habuerint ideoque  
legibus agrariis non indiguerint. Sed et tempori futuro Moses  
ita prospexit facile putatur<sup>1)</sup>, et initia tamen terrae occupandæ  
sub ejus vitae finem jam facta sunt, quum terra trans Jordanem  
sita tribubus duabus et dimidia distribueretur. Quare Mosem et  
voluisse et potuisse ejusmodi instituta condere, credibile est.

### §. 50. *Quamquam non omnia, plurima tamen institutorum illo- rum a Mose condita esse, verisimile est.*

Spectemus singula. — Primum anni septimi quietem jam a  
Mose institutam esse, extra dubium ponitur, quum illa lex jam  
antiquissimo legum codice tradatur. — Quum vero hujus legis  
summa in eo posita sit, quod sabbati institutum ad annorum cy-  
clum refertur: hanc inde cum aliqua veritatis specie facere licet  
conclusionem: ejusdem, qui primus sabbatum induxerit, fuisse  
potissimum, ita consummare hoc novum institutum, ut septem  
annorum hebdomadum cyclum magno quasi sabbato concluderet.  
Qua argumentatione, etiam annum jubilaeum, tanquam omnium  
sabbatorum maximum, a Mose conditum esse, verisimile reddi-  
tur.

Agrorum vero remissionem ad hunc annum jubilaeum a Mose  
relatam esse, probatum sane esset, si rei Num. 36. relatae cer-  
tam fidem habere liceret. Sed verba illa, quibus (v. 4.) annus

---

agrum, nam agros hereditarios divisos non esse, sed soli filio na-  
tu majori traditos, non intelligo, quum omnibus filiis data sit he-  
reditas, natu majori vero nil nisi pars duplex. Cf. MICH. M. R.  
II. §. 79. DE VVETTE Arch. §. 154.

1) Quamquam verbis Lev. 25, 2.: »ubi veneritis etc.« nil efficitur;  
nam haec scriptoris posterioris verba esse possunt, tempora Mo-  
saicæ in mentem revocantis.

jubilaeus cum agrorum possessione conjungitur, recentioris scriptoris esse possunt. Quare hoc ex loco certi nihil constitui potest. Sed maximum ex interna illius legis agrariae vi videtur peti posse argumentum. Israëlitarum enim historiam spectantes infra (§. 53.) videbimus, nulla fere post Samuelem tempora fuisse, quae ad instituendam ejusmodi rem apta fuerint. Tota vero ante Samuelem aetate Mosis tempus ad illam legem promulgandam omnium maxime idoneum erat. Nondum agros sibi quisque ceperat; terrae non occupatae distributionem futuraeque possessionis modum atque ordinem libere constituere licebat; Israëlitae pari servitio erepti institutam atque firmatam possessionis aequalitatem facile ferebant. Quare Mosi lex illa omnium facillime adscribitur.

Servorum vero manumissio a Mose anno jubilaeo tributa esse non potest. Nam quum propter loci Exod. 21. vetustatem, Mosem septimo servitutis anno servos liberos fieri voluisse, quam maxime verisimile sit: si idem ab eodem ad jubilaeum quoque annum relatum esset, apertius, quomodo res se haberet, indicandum erat (cf. §. 39.). Hoc certum esse videtur, eum, qui legem Exod. 21. dederit, quamquam non universum annum jubilaeum, vim tamen ejus ad servos liberandos ignorasse.

Quare, si conjecturam proferre licet, ita fortasse res se habuit: Primum Moses legem illam de servis septimo servitutis anno manumittendis tulit; postea (fortasse, quum terrae occupatio incepta esset) annum sabbaticum atque jubilaeum eorumque leges agrarias instituit. — Nonnullis vero saeculis post, quum septimo anno servorum liberatio minus diligenter observaretur, ad jubilaeum eorum manumissio translata est.

Quae sit loci Deut. 15. ratio, supra exposuimus; Deuteronomii scriptor priorem legem, qua septimo anno servi liberi fiebant, repetere maluit, quam alteram, qua ad jubilaeum hoc referebatur. Postea vero altera lex eo, quo vidimus supra, modo cum altera conciliata est.

## CAPUT VIII.

### **Utrum anni jubilaei institutum observatum sit, nec ne.**

**§. 51. *Omnis respublica non prorsus ex Mosis consilio administrata est.***

Quum lex de anno jubilaeo lata arctissime conjuncta esset cum universo condendae reipublicae consilio, effectum est, ut hujus instituti observatio inde penderet, num respublica prorsus ex Mosis consilio administraretur, nee ne. Quod quum nunquam perfecto modo factum esse putandum sit (nunquam enim desierunt prophetarum aliorumque virorum piorum querelae de violata lege Mosaica; ipso regno hereditario instituto valde mutata est, quam Moses voluit civitatis formam esse), ad jubilaei observationem non ita prospera fit conclusio.

Et mirum sane non est, rempublicam Mosaicam magis in piorum hominum cogitationibus atque votis fuisse, quam re vera exstisset; nam interna potius hominum conscientia ei praesidio data erat, quam externa aliqua potestas. Deus unus civitatis Mosaicae rex erat; a quo violatarum legum poenae timenda erant maximae quidem, sed quae non manifestis suppliciis infligerentur; invisibilis vero Dei potestas hominibus sensualibus nimis facile ignorabatur.

Quare legum illarum Mosaicarum plurimae morales potius habendae sunt, quam publicae, spirituali magis auctoritate sanctae, quam publica civitatis potestate. Ad quod legum genus nostrum illud jubilaei anni institutum videtur referendum esse, quum poenae atque praemia non civilia, sed divina tantum ei adjiciantur.

**§. 52. *Similis inde efficitur de anni jubilaei observatione sententia.***

Quousque vero anni jubilaei vis apud Hebraeos valuerit, prorsus accurate definiri non potest<sup>1)</sup>, quoniam et, quo tempore pri-

1) Quas instituit MARMONIDES (l. c.) annorum jubilaeorum apud Hebraeos celebratorum computationes prorsus voluntario modo (cf.

mum institutus sit, et, quae sit loci illius, quo continetur lex, ratio atque origo, non pro certo constitutum, sed ad verisimilitudinis tantum quendam gradum perductum est, quoniamque desunt notitiae historicae, quae rei constituenda plane sufficient.

Quae vero maxime probabilis nobis visa sit sententia, propnere liceat, deinde rationibus, quibus potuerimus, firmare: Universum institutum ita, ut secundum legem septimus quisque annus sabbaticus, quinquagesimus vero quisque jubilaeus eset, omnesque res cum festis illis annis conjunctae rite observarentur, nunquam valuisse videtur. Singularum vero ejus partium nonnullas Israëlitae per majus temporis spatum in usum receperunt, alias vero interdum tantum necessitate premente modo extraordinario exsecuti sunt.

### §. 53. 1. *Integralm atque universum anni jubilaei institutum observatum non est.*

Tanta erat instituti illius in universum reipublicae statum visatque gravitas, tam conspicuus ejus plene exacti effectus, tanta inde hominibus oriunda laetitia, ut, si unquam ita celebratum esset, Israëlitarum historia, quae inde a Samuelis certe tempore satis accurate scripta est, silentio id praeterire non potuisset. Legere nos interdum oportebat: hoc vel illo anno incidisse Hebraeorum festum jubilaeum, hanc vel illam ejus in res tum temporis gestas vim fuisse, hunc vel illum regem id celebrari jussisse. — Quorum nihil ne verbo quidem ullo loco indicatur, nulla fit temporis ab anno jubilaeo computatio, nomen ipsum ex historiarum libris evasisse videtur. — Et maximi sane momenti est, quod in Deuteronomii libro, quo ceterae leges, quae ad tempora, quibus liber scriptus est, idoneae erant, omnes fere repetuntur, anni jubilaei mentio non fit; quae fieri debebat cap. 15., ut, quae esset ratio servorum manumittendorum, accurate consti-tueretur<sup>1)</sup>. — Quare plena atque legitima instituti illius obser-vatio nunquam fuisse putanda est.

---

CARPZOV. p. 465 sq.), nostrum in usum adhibendae non sunt, sed Veteris Testamenti certaeque historiae testimoniiis res discernenda est.

1) Quod vero Num. 36, 4. anni jubilaei tanquam rei omnibus notae mentio fit, argumento, celebratum eum esse, non est; nam si illa sunt eorum verba, quorum esse dicuntur, ex ipso Mosis instituto

Quae res mira nobis non videbitur, si singula rerum Israëliticarum spectaverimus tempora.

Terram Palaestinensem ingressis, statim quiete habitare atque rempublicam omnibus ex partibus secundum leges Mosaicas ordinare, Israëlitis concessum non erat<sup>1)</sup>; sed tot tamque gravibus per complura saecula detenti sunt certaminibus et externis et civilibus, ut jubilaei illud institutum, quod in firma atque secura terrae possessione tantum locum habet, in usum venire omnium minime posset.

Felicia tempora Israëlitis inde a Samuele judice fuere, qui, quod Moses incepérat atque legibus praeſeripſerat, perficere studuit. Sed statim, Mosaicam reipublicae formam majores poscere virtutes, quam quibus studere populo luberet, apparuit<sup>2)</sup>: irritum maxima ex parte redditum est Mosis consilium; invitus Samuel efflagitantibus regem concessit<sup>3)</sup>. — Quam rem anni jubilaei instituto maxime exitiosam fuisse, facile appetat. Regibus regnantibus Deus totius terrae dominus quasi feudalis esse amplius non potuit. Regi, ut majori sumtui faciendo res familiaris sufficeret, majores divitiae, et majores ideo agri opus erant; quos nisi neglecta illa lege agraria sibi comparare non poterat<sup>4)</sup>. Ad negotia deinde aulae regiae perferenda homines ad operam servam praestandam cogebantur (1. Sam. 8, 16.), qua re lex de servitio lata facile migrabatur. Ut amicos rex sibi fidos redderet, his quoque majores agri tribuendi erant in ceterorum damnum<sup>5)</sup>. Regis exemplum imitabantur, qui ei proximi erant potestate; pauperes agris privabantur; latifundia colligebantur immensa (Jes. 5, 8); divitias pauci coacervabant maximas; plebs in summam detrudebatur egestatem. — Ad ejusmodi rerum statum sub re-

\* festi illius notitiam iis fuisse, appareat; sin vero scriptoris recentioris verba sunt, eum ex vitae usu annum jubilaeum novisse, nondum efficitur, quum ex legum Mosaicarum libris ejus notitiam haurire potuerit.

1) Judicium tempore rempublicam Mosaicam nondum institutam fuisse, probavit JOST, Geschichte der Israëliten, 3ter Theil pag. 6. — Cf. DE WETTE Arch. §. 144.

2) Cf. 1. Sam. 8, 7. 8.

3) Cf. DE WETTE §. 145. JOST. p. 7.

4) Cf. supra §. 41. — 1. Sam. 8, 14.

5) Exemplo est res 2. Sam. 9, 9. 10. cap. 16, 4. c. 19, 29. narrata, quanti agri in regiam familiam confluxerint, quantaque cum licentia reges de subditorum agris imperia dederint.

gum imperio rempublicam paullatim decidisse, prophetarum scriptis satis probatur; unde, annum jubilaeum tum temporis non constitisse, necesse est. — Accedebat, quod pristinam vitae rationem, qua agrum quisque colebat, reges immutare coeperunt. Praeterquam quod in aula regia exercituque multi retinebantur agrorumque culturae eripiebantur, inde a Salomone reges mercaturam et navigationem (1. reg. 9, 26. 2. Chron. 20, 35—37.) instituere conati sunt; qua re multo majus redditum est pecuniae pretium, neque amplius lex, qua usurae prohibebantur, observari poterat<sup>1)</sup>. Quod quam vim ad anni jubilaei instituta habuerit, facile concluditur ex arcto utriusque legis connexu (§. 36.).

In exilio Babylonico novum ortum est legum Mosaicarum studium, quarum ope fore ut res publica restitueretur, multi spe rarunt. Prophetae igitur populi in patriam redditum vaticinantes, ut in posterum perfectam legibus obedientiam Judaei praestarent, saepe monuerunt. Sed pia illa erant vota lectis libris Mosaicis concepta, ex quibus ad res factas conclusionem facere non licet<sup>2)</sup>.

Nam quum ex exilio Judaei rediissent, legibus Mosaicis observandis studium quidem impenderunt quam maximum; sed in Dei cultu rebusque sacris tantum Mosis mandata sequi poterant; res publica vero Mosaica renovata non est, quum peregrinorum imperio subjecti essent, et pagani multi terram incolerent, in quos leges illae agrariae vim exercere non poterant<sup>3)</sup>. Quare anni jubilaei quoque institutum in oblivionem datum est<sup>4)</sup>, ne-

1) Gravissimum contra exercebatur foenus, cf. Ezech. 22, 12. 19. (Neh. 5, 11. PHILo p. 1181.).

2) Spectandi hic nobis sunt loci Jes. 61, 1. 2. et Ezech. 46, 17. — Jes. 61, 1. 2., qui locus et ipse exilio temporibus scriptus esse putatur, describendae futurae felicitatis imagines ab anno jubilaeo desumuntur, sed in usu illum fuisse, inde non sequitur; nam aut ex libris Mosaicis imagines illae petittae sunt, aut ex ejusmodi rebus gestis, quales Jer. 34. narrantur. — Ezech. 46, 17. vero prophetam in futura nova, quam describit, civitate jubilaeum annum celebrari voluisse appareat; sed ex libris Mosaicis id hausit votum; de re facta inde nil efficitur.

3) Cf. JOST, Gesch. d. Isr. III. pag. 10—33.

4) Ex Rabbinorum sententia post redditum ex exilio anni jubilaei nulli fuerunt, sed numerabantur tamen, ut septem annorum sabbaticorum cyclus etiam tum quinquaginta animos efficeret. Cf. PET. CUNAEI diss. de republ. Hebr. in crit. sacr. T. V. p. 381. 382. CARPZOV. p. 466.

que, Maccabaeorum tempore aut postea id restitutum esse, nulla adsunt vestigia<sup>1)</sup>.

Diruta vero ab Romanis Judaeorum republica, disperso populo, terra Palaestinensi peregrinis vendita<sup>2)</sup>, cum universae civitatis interitu nostra quoque illa instituta interiisse, necesse est. Restiterunt solae Rabbinorum inumerae inutilesque de legibus Mosaicis cogitationes, distinctiones disputationes<sup>3)</sup>.

### §. 34. 2. *Observatarum tamen singularum illius instituti partium vestigia nonnulla adsunt.*

Quamquam vero plenum atque integrum anni jubilaei institutum in usum reeceptum non est, non prorsus tamen irritum fuit praeclarum Mosis consilium, sed singularum rerum, quae cum eo conjunctae fuerant, nonnullae interdum observatae sunt.

Satis longum per tempus obedientiam Israëlitae praestiterunt legi de quiete agris septimo quoque anno concedenda. Sed ne haec quidem lex ante exilium semper observata est, quamquam querelae multae de ea violata habitae, non prorsus in oblivionem eam abiisse, probant. Quo pertinent loci Lev. 26, 34. 35. et 2. Chron. 36, 21., inter se simillimi, quorum prior (cf. supra §. 16.) non multo ante, posterior non multo post exilium videatur conscriptus esse. Ex quibus locis, ultimis ante exilium saeculis legem illam magnopere neglectam esse, elucet, ita ut quies terrae vastatae agris propter incolarum defectum necessaria poenae loco esse videretur pro negata justo tempore agrorum quiete legitima<sup>4)</sup>.

1) Nam quae apud JOSEPHUM et PHILONEM de anno jubilaeo leguntur, ita scripta sunt, ut, laudari tantum Mosis consilium appareat; historicam vero ejus observationem neuter narrat. Quod vero illi res quasdam anno jubilaeo adscribunt, quae Lev. 25. non leguntur, nihil inde probatur, nisi varias tum temporis ad interpretandas illas leges Mosaicas adhibitas esse cogitationes, quibus nonnunquam vel omnis earum vis eludebatur (cf. supra §. 33.).

2) Cf. Jost, III. 186. 188.

3) Quod vero in Mischn. Nasch. tract. Kiduschin legitur: »servi septime anno liberi fiunt et jubilaeo«, indicare videri potest, secundo p. Chr. saeculo inter parvos Judaeorum Palaestinensium coetus annum jubilaeum celebratum esse. Sed obstat, quod Rabbini ipsi post redditum ex exilio Babylonico annos jubilaeos fuisse negant.

4) Rejicienda vero est sententia (cf. Mich. M. R. II. §. 76), qua com-

Post Judaeorum vero ex exilio redditum annus sabbaticus, i. ad res sacras magis, quam ad res publicas pertinens, satis diligenter celebrari coepitus est. Adsunt documenta historica, quae certos quosdam annos sabbaticos fuisse, satis aperte probant; quibus fidem negari nequit<sup>1)</sup>. Neque minus Philo ita de anno sabbatico disserit, ut diuturnam eujus observationem novisse videatur<sup>2)</sup>. Neque post diruta Hierosolyma Judaei Palaestinenses eum morem prorsus neglexisse videntur<sup>3)</sup>.

Minimam omnium illi legi, qua agri remittendi erant obedientiam factam esse, supra (§. 53.) vidimus. Nec desunt tamen vestigia, quibus agros familiae, cui primum assignati essent, demere, pro injuria habitum esse, probetur. Ita Ruth. 4, 1—7. proximi cognati jus est agrorum redimendorum. 1. reg. 21, 2—6. Nabothus agris avitis cedere acerrime recusat. Ezech. 7, 42.

13. summae tantum egestatis causa agros venditos esse, vendito remque iis recuperandis studuisse, probatur.

Pariter ultimis antea exilium temporibus neglecta erat lex de servis Hebraicis septimo aut quinquagesimo anno manumittendis,

putatione satis artificiosa ex illis locis concluditur, inde a Sauli tempore annum sabbaticum non celebratum esse. Nam quam 2. Chron. 36, 21. terra ex Jeremiae vaticinio (Jer. 25, 11.) septuaginta vastationis annis neglectos annos sabbaticos exsolvisse (תְּנַשֵּׁא Hip. et Kal sensu activ. contentum reddere, pendere, exsolvere, cf. GESEN. Lex.) dicatur, concluditur inde, ipsos septuaginta annos sabbaticos (ex Sauli ergo vel Davidis fere tempore) neglectos esse. Quam conclusionem ratam habere non possumus, quoniam neque exacto numero per ipsos septuaginta annos exilium fuit (exilii enim septuaginta annorum nomen ex illo Jeremiae vaticinio ortum est), neque loci 2. Chron. 36, 21. auctor verbotenus intelligi et rem illam historicam tam artificio modo indicare voluisse videtur. Nihil inest loco, nisi: »Sat magna poena fuit legis satis longum per tempus violatae«, sive, »peccato poena par fuit.«

- 1) Jos. ant. XI. 8. 5. Alexander M. septimo quoque anno propter frumenti penuriam Judaeis vectigalia remisisse dicitur. I. Macc. 6, 49—53. et Jos. ant. XIII. 8. 1., in quibus duobus locis relatum est, Judaeis in bello gerendo propter frumenti defectum annum sabbaticum importunum fuisse. Altero quidem loco ipse JOSEPHUS indicare videtur, sese annum sabbaticum celebratum vidisse.
- 2) PHILO p. 1187. fragm. ap. EUSEB. praep. ev. VIII. 17.
- 3) TACITUS, Judaeorum annum sabbaticum novit, hist. V. 6. »septimodie otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit, dein blandiente inertia septimum quoque annum ignaviae datum.«

debitisque remittendis, *Jer. 34, 14.* Sed urgente ultima necessitate interdum extraordinario modo annus remissionis proclamatus esse videtur, non eiusmodi beneficis erga pauperes praestitis Dei gratiam populus sibi conciliaret. *Cujus rei duo ad sunt exempla.* Primum *Jer. 34.* premente. (Babyloniorum bello rex Zedekias jurejurando populum obstrinxit, ut suos quicunque servos Hebraicos et ancillas dimitteretur. Sed tanta fuit Judaeorum temporis superbia ac saevitia, ut rerum angustiis paullulum minatis violato jurejurando in servitatem illos redire cogerent; quia de causa gravissimas Jeremias iis praedixit poenas.) Alter locus est *Neh. 5, 1.* Quum ex exilio Judaei rediissent, quamquam ad legem Mosaicam servandam obstricti (*Esr. 7, 22-26.*) divites tamen aere alieno pauperes quam maxime premere coeperunt; qua de re quum tumultus civilis oriturus esset, Nehemias ad remissionem omnibus concedendam divites commovit, ita ut redderent, quae pauperibus ob aces alienum ademerant *Neh. 5, 1-13.* Quae remissio ut in posterum sabbatico quoque anno fieret, Nehemias postea, quum foedus Mosaicum restauraret, constituit. Quae lex a populo per jusjurandum sancita est *Neh. 10, 31.* Sed quantam vim postea haec lex exercuerit, constitui non potest; nam libero cuiusque arbitrio relictum fuisse videtur, num eiusmodi beneficentiam exercere placuerit, nec ne. *PHILO* servorum manumissionem septimo anno faciendam ut pietatis officium commendat.<sup>2)</sup>

## CAPUT IX.

### Anni jubilaei institutorum similitudines apud alias gentes obviae.

**S. 55. Num ab Aegyptiis Israëlitae annum jubilaeum acceperint.**

In duabus potissimum rebus supra (S. 44, 45, 47.) vidimus

1) Cf. MICHE. M. R. III. 158.

2) Cf. PHIL. p. 1182.

positum fuisse anni jubilaei fundatum, in sabbati atque in theocratiae notione. Ultraque quum a Mose primum inducta neque ex aliorum exemplo desumpta esse putanda sit, annum quoque jubilaeum Israëlitis proprium fuisse, facile concluditur. Integrum et universum apud nullas alias gentes id institutum reperitur, sed apud multas singularum ejus partium similitudines quae-dam adsunt, ita, ut Moses una re comprehendisse videatur, quae ceteris dispersa tantum et imperfecta contigerunt.

In Aegypto quum Israëlitae diu versati sint, multas res ab Aegyptiis accepisse videntur. Quare, num etiam annum jubilaeum inde habuerint, quaerendum est<sup>1)</sup>. — Sed prorsus eandem rem etiam apud Aegyptios fuisse, jam ea de causa verisimile non est, quod nimis diversa fuit eorum ab Hebraeorum reipublicae forma. Nam et regia utebantur potestate; neque pares inter se omnes terrae incolae, sed major sacerdotum militumque honor; neque in sola agrorum cultura omnis vita posita, sed artium operibus multorum studia dicata erant. Quare ipsum anni jubilaei institutum apud Aegyptios non invenimus, nonnullas tamen legum agrariarum similitudines. Loco enim Gen. 47, 20—26 docemur, Aegyptios quoque plenam agrorum potestatem non habuisse, sed feudali modo eos obtinuisse, ita ut ipsa terra (exceptis sacerdotum agris) regis esset, populus eam data regi quinta fructuum parte coleret. Quod idem est Mosis institutum, praeterquam quod non rex, sed Deus apud Israëlitas feudorum dominus est. Eiusmodi vero agros non ex cuiusque arbitrio vendi potuisse, facile conjicitur. — Etiam major vero efficitur rerum Aegyptiacarum et Judaicarum similitudo, si contulerimus HERODOTUM, qui (II. 109.) Sesostrem aequaliter agrorum partem Aegyptiorum cuique pro vectigali quoque anno pendendo assignasse narrat<sup>2)</sup>.

Aegyptiorum temporum descriptionem quamquam Hebrei non magnopere secuti sunt, hoc tamen notandum est, fuisse Aegyptiis periodum viginti quinque annorum, quae Apica dicebatur, quia Apis ille post viginti quinque hos annos occidi solet<sup>3)</sup>. Quae-

1) Quam quaestionem movit J. D. MICHAELIS (M. R. II. 73.), sed conjectura tantum utitur rationibus parum firmata.

2) Aliter DIODORUS, solos reges, sacerdotes et milites agros possedisse, ceteros conductione eos coluisse, narrat. Sed diversis temporibus diverso modo res se habuisse facile putantur. Cf. HEEREN'S Ideen, 1te Aufl. Thl. I. p. 375—388.

3) Cf. IDELER, l. c. I. p. 182.

res hoc fortasse effecit, ut Moses pro undequinquagesimo quinagesimum annum jubilaeum esse juberet, ita ut periodus jubilaeus Apicas duas comprehendenderet.

### §. 56. *Aliarum nonnullarum antiquitatis gentium exempla.*

Eodem modo apud alias antiquitatis gentes nonnullae institutorum illorum Hebraicorum similitudines reperiuntur<sup>1)</sup>; quarum instar omnium has afferre liceat:

Maxima omnium adest similitudo apud Spartanos in republica Lycurgica<sup>2)</sup>. Quemadmodum Mosi Deus erat, in cuius potestate omnis terra omnesque ejus incolae essent, Lycurgo respublica ipsa erat, cuius communi voluntati singulorum quisque suam voluntatem subjiceret, ita ut sibi nemo, soli reipublicae omnes vivarent. Quare civium Spartanorum jure qui gaudebant, inter se omnes pares erant, dataque erat aequa cuique familiae agri pars (*κλῆρος*), quae non singulorum, sed reipublicae nomine colebatur, nec vendebatur, nec commutabatur, nec dividebatur. Ne ulla res, qua singulorum potentia atque divitiae in ceterorum oppressionem augerentur, superesset, auri argenteique usus prohibitus erat, ut paupertas atque divitiae pariter ignotae essent. Simile sane conspicimus, atque quod Mosi erat in condendo anno jubilaeo consilium, praeterquam quod addidit Moses momentum religiosum, quo ad Deum universa res relata est.

Multo minorem Solonis leges ad Mosaicas illas affinitatem habent. Plena cuique erat agrorum potestas; populi classes ex divitiarum diversitate factae erant. Solummodo ad sublevandam, quae tum temporis erat, nimiam pauperum necessitatem, Solon notam illam debitorum deminutionem (*σευσάχθειαν*) instituit, et, ne quis in posterum agrorum possessionis certum quemdam modum transgrederetur, neve quis aeris alieni causa in servitutem redigeretur, prohibuit<sup>3)</sup>.

Eodem modo notae illae Romanorum leges agrariae ad sublevandas tantum, quae certis quibusdam temporibus ortae erant,

1) Cf. PET. CUNAEI diss. in crit. sacr. V. III. p. 380, ubi ex ARISTOTELĒ haec afferuntur: »Oxylus, Eliorum rex, praedia agrosque vetuit ad mutuam pecuniam opponi. Et Locrensisbus interdictum fuit, ne avitas possessiones venderent.«

2) Cf. H. LEO, Lehrbuch der Universalgeschichte I. pag. 181.

3) Cf. LEO l. c. pag. 218.

pauperum angustias vim habuerunt, ad radicibus vero extirpandum illud nimiarum divitiarum nimiaeque paupertatis malum non suffecerunt. — Cui rei omnium optime Moses prospexit; sed defuit obedientiae populi virtus.

### §. 57. *Christianorum festa jubilaea.*

Quomodo Catholici, nimis sensuali modo res spirituales administrantes, Hebraeorum anni jubilaei vim, debitorum remissionem, ad peccatorum remissionem transtulerint, notum est. Quem annum jubilaeum primus celebrari jussit Bonifacius VIII. saeculi quarti decimi initio. Quod exemplum secuti papae primum quinquagesimo, deinde vigesimo quinto quoque anno peregrinos multos spe jubilaeae illius remissionis Romam accersiverunt<sup>1)</sup>.

Nos vero, rejecto abusu illo, graviorum rerum gestarum memoriam quinquagesimo aut centesimo quoque anno celebrare solemus, antiqui illius Hebraeorum instituti memores, ita ut nobis quoque anno jubilaeo rerum instauracionis laeta festa agantur novaque vita piis votis incipiatur; quemadmodum Hebraeorum annus jubilaeus populi regenerationem tulit, ita ut missis temporum praeteritorum curis atque angustiis cum spe laeta atque pia Dei providentiae sors futura crederetur.

Quare felix annus quum nostrae huic litterarum universitatii festa illa referat tempora, anni jubilaei vetustissimum illud tamque egregium institutum civibus omnibus quam maxima sane cum sanctitate atque solemnitate celebrandum est. Cujus quae fuit olim in res civiles vis, si ad nostri temporis usum minus convenire visa fuerit: restat vis ejus religiosa, restant solemnia gaudia ob Dei beneficia summa in hanc litterarum sedem inde ab natalitiis collata quam plurima. Magnum ergo agamus Deo Optimo Maximo sabbatum, novum saeculum sacris festis auspicantes, sperantes, fore, ut litterarum haec civitas in Dei honorem administrata gratiae Divinae tutela in saecula quam plurima gaudeat.

---

I) Cf. GATTERER, über Jubelfeste 18. Sept. 1787.

**Impressit Fridericus Ernestus Huth.**

---





UNIVERSITY OF CHICAGO



48 423 783

|                    |   |
|--------------------|---|
| BM<br>695<br>.J9W8 | Wolde<br>De anno hebraeorum<br>jubilaeo.<br>15690 |
|                    |   |
|                    |   |
|                    |   |

BM  
695  
.J9W8

15690

SWIFT LIBRARY

**UNIVERSITY OF CHICAGO**



**48 423 783**